

Dos seductæ assignanda regulatur juxta facultates parentum, & qualitatem puellæ, ac viri, quem acquirere potuisset, num. 91. in Foro externo debet dotari seductæ, etsi jam habeat dotem, num. 92. & licet damnum passum non fuisset num. 93. Si damnum majus est, quam dos, plus restituere debet, num. 94. & seqq. Puellæ nobili, aut specialibus qualitatibus nature ornate, ordinariè plus restituere debet quam ignobili, aut abjectæ, numer. 97. Cæteris paribus dives deflorator non tenetur plus dare defloratæ, quam pauper, numer. 99. & seq. Qui dotare non potest, tenetur puellam ducere, si ea velit, vel dotare quantum potest, si puella nubere ei nolit, num. 100. & seqq.

Quoad Forum internum præcisè attenditur damnum, quod puella ex iniusta defloratione patitur, ita ut tantum restituere tenetur, quantum efficitur: si nullum damnum subsecutum est, ad nihil tenetur ante sententiam Judicis, num. 76. & nu. 102. & seqq. bene tamen post sententiam Judicis, num. 77. In Foro hoc satisfacit vir seductæ æqualis, si eam nubere velit, nec tenetur eam simpliciter dotare, num. 105. Solis inopertis precibus seducens, in Foro interno ante sententiam Judicis ad nihil tenetur, num. 107. Quid sub fide spe aut promissione Matrimonii aliquam seducit, tenetur absolute eam ducere, numer. 115. & seqq. Nisi vir notabiliter excedat conditionem puellæ, & hoc fecerit puella, num. 121. Quod si tamen vir puellam sufficienter, v. g. juramento assecuret, quod non obstante disparitate conditionis eam ducere velit, si ad usum corpus præbeat, tenetur eam ducere, num. 122. & seqq.

S. V.

De Effectibus Sponsaliorum, præsertim de Obligatione eorundem; & modo compellendi obligationi satisfacere nolentes.

S U M M A R I U M.

- 136 Effectus Sponsaliorum qui?
- 137 Sponsalia quevis etiam occulta obligant sub gravi culpa.
- 138 Etiam qui absque repromissione alterius promissit Matrimonium, tenetur promissum servare: Remissivè.
- 139 Solvitur instantia contra obligationem Sponsalium.
- 140 Sponsalia obligant etiam, ne quid fiat, quod Matrimonium impedire possit.
- 141 Sponsalia obligant tempore ad nubendum præfixo. Et num. seq.
- Dies interpellat pro homine. Ibid.
- Mora sua cuiuslibet est nociva. Ibid.
- 142 Ex causa licet differre Sponsalia.
- 143 Si nullum tempus determinatum est, Sponsalia statim obligant.
- Obligaciones indeterminatè factæ statim stringunt. Ibid.
- 144 Probatur à paritate voti.
- 145 Solvitur instantia. Et num. seq.
- 146 Pignus vendere non potest creditor, nisi prius moneat debitorem. Ibid.
- 147 Probatur paritas voti.
- 148 Quare pecunia mutuo accepta non statim iterum solvi debeat?
- 149 Si ex circumstantiis colligitur, alteram partem liberè consentire in dilationem, differri potest Matrimonium.

- 150 Sanchez adversarius videtur nobiscum sentire.
- 151 Ex dilato Matrimonio multa oriuntur peccata.
- 152 Recusans Matrimonium compelli potest & debet per debita Juris media.
- 153 Esi Sponsalia juramento non sint firmata. Pacta & promissa servari debent. Ibid.
- 154 Objicitur instantia contra compulsionem ad nubendum. Et num. seq.
- 155 Obligatiombus facti, si estimationem recipiunt, satisfiunt, præstando interesse.
- 156 Media compulsiva ad nubendum, que? & quis ordo? Primum debet fieri admonitio.
- 157 Secundò possunt, & debent adhiberi carceres, aut alie pœnæ, ante Censuras.
- 158 Quia hodie Excommunicatio non est ordinaria, sed extraordinaria ac subsidiaria pena.
- 159 Tertio, Excommunicatio.
- 160 Si Juxta Ecclesiasticis carceres, aut brachium seculare Ipsæ non habet, an tenetur ante Censuras invocare brachium Laicum?
- 161 Non tenetur, quamvis possit invocare, & invocatus Juxta laicus assilvere debet.
- 162 Excommunicatio ante carceres lata cerè valet.
- 163 Remuens nubere finaliter cogi non potest, & idè absolvi debet ab Excommunicatione.
- 164 Vel omninò non excommunicari, si eà nihil efficitur.
- 165 Non requiritur exacta probatio, sed sufficit arbitrium Judicis ad cognoscendum, ex futuro Matrimonio oriri scandala.
- 166 In Excommunicatione per annum infordegens processatur ut suspectus de heresi: non procedit in causa Matrimoniali, nisi quis adigatur ad restitutionem, aut compensationem damni.
- 167 Remittens alteri obligationem nubendi potest exigere compensationem pecuniariam, si ex tali remissione damnum patiatur.
- 168 Prout ordinariè contingit.
- 169 Imò potest talem compensationem exigere, etsi nullum damnum patiatur. Et tribus num. seqq.
- 170 Licet minus i. cui plus licet.
- 171 Solvuntur instantia.
- 172 Compensatio pecuniaria pro dimissione tali debita, à quo, & quomodò taxanda?

NOtandum prius, plures ex Sponsalibus provenire effectus, veluti. I. Obligationem eadem adimplendi, & per consequens nihil faciendi, quod adimpletionem impedire potest. II. Inhabilitatem durantiem primis alia Sponsalia contrahendi. III. Impedimentum publicæ honestatis. De primo effectu dicemus in præfenti: de secundo autem, & tertio in Tit. de Sponsa duorum.

Quæritur itaque, I. An, quomodo, & quando obligent Sponsalia? Resp. I. Sponsalia graviter obligant, ita ut in Foro interno mortaliter peccet, qui ea adimplere renuit, etsi clam nemine præsentè, & ita contracta sint, ut nullatenus probari possint; nisi mutuo consensu dissolvantur, vel justa causa ea dissolvendi existat. Ita hodie cum D. Thom. in 4. Dist. 27. q. 2. a. 1. Covar. p. 1. de Sponsal. cap. 1. num. 2. Sanchez de Matrim. lib. 1. Disp. 27. num. 1. Laym. lib. 5. t. 10. p. & cap. 1. n. 3. communis, ac certa, caretque controversiâ, arg. c. Ex litteris. 10. h. 1. ubi mandat Episcopo, ut eum, qui Sponsalia contraxit, ad nubendum prius moneat; & si non acquieverit moniti, Ecclesiasticis Censuris compellat, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstitierit) in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet. Quæ Juris dispositio non tantum de Sponsalibus juratis (de quibus Sanchez loc. cit. est sermo) sed etiam de non juratis intelligenda venit: Tum ob alia, quibus concordari

dari debent Jura v. g. can. Aho. 47. can. 27. q. 2. ubi omnibus modis prohibetur, ne quis Matrimonium contrahat cum aliqua alteri jam desponsata; ita ut Matrimonium cum tali contractum Anathemate feriatur: concordat & idem probant c. Præterea. 2. & c. si inter 31. h. 1. c. De illis. 7. de Despons. impub. p. 1. de Sponsa duorum. Tum etiam ob rationem. Ratio enim Conclusionis de omnibus Sponsalibus in genere est, quia omnis promissio præsertim onerosa, ac mutua de re gravi, qualis utique est Matrimonium, graviter obligat, & in utroque Foro servanda est c. 1. & 3. de Pactis.

138 Ex hac ratione desumitur, quòd etiam graviter obligetur quis ad nubendum illam, quæ mutuo non repromissit, consequenter vera Sponsalia non contrahit, sed tantum promissionem accepit juxta dicta supra n. 17.

139 Nec obstat L. 1. C. de Sponsal. ubi dicitur: Alii desponsata renuciare conditioni, & nubere alii non prohibetur. Resp. enim textum illum intelligendum esse, quòd dissolutis Sponsalibus de futuro licitum sit alteri nubere; prout in terminis ibidem explicat Summarium, & ita interpretari jubet concordantia Juris non tantum Canonici sed & Civilis, l. Juris gentium 7. §. Alii Prætor. 7. ff. de Pact. ibi: aut Prætor, pacta conventa, que neque dolo malo, neque adversus Leges, Plebiscita, senatusconsulta, edicta Principum, ne que fraudi eorum facta erunt, servabo. Quod si contentas, Sponsalia de Lege Civilis non obligant: Resp. eam esse correctam à Jure Canonico per textum citatum num. 137. gravem obligationem manifestè indicantes.

140 Inferitur Sponsalia indirectè graviter etiam obligare, ne quis absque justa causa faciat quiddam quo impediri, aut plus justo differri possit Matrimonium ob Sponsalia debitum: eò quòd universaliter omnis contractus non tantum obligat ad præstandum id, quòd promissum est, sed etiam ad abstinentiam ab omni eo, quòd debite executioni promissi adversarij, Palao de Sponsalib. Disp. 1. pun. 7. num. 3. cum communi per vulgaria.

141 Resp. II. Si in Sponsalibus certum tempus determinatum fuit pro Matrimonio contrahendo, illud observari debet, nisi justa causa excuset. Ita communis, ac certa, caretque controversiâ, arg. l. Solutum. 85. ff. de Solutio. ibi: Solutum solvitur non minus quantitate quam die. Ratio est: Tum quia contractus ex conventionale legem accipere dignoscuntur, c. 87. de R. J. in 6. Tum quia pacta juxta servanda sunt, l. penult. C. de Pactis. Procedit Conclusio, etsi in hoc casu pars altera non urgeat; quia dies statuta interpellat pro homine, c. fin. de Locat. Conduct. Hinc si ob culpabilem moram unius pars altera damnum patiatur, damnum ei refarci debet; Nam mora sua cuiuslibet est nociva, c. 25. de R. J. in 6.

142 Dicitur tamen notanter in Conclusione nisi justa causa excuset: cum enim ob hanc Sponsalia omninò solvi possint, Ex litteris 10. h. 1. ibi. Nisi rationabilis causa obstitierit; & magis patebit ex dicendis §. seqq. multò magis ob eam differri poterunt.

143 Resp. III. Si nullum tempus determinatum est, per se loquendo & ex natura sua Sponsalia statim obligant, ita ut quamprimum commodè ac humanitè fieri potest, adimpleri debeant, etiam si ab aliqua ex spondentibus parte moratio, aut requisitio non fiat. Bolco in Theolog. Sacram. p. 5. Disp. 11. sect. 1. Concl. 2. n. 14. Pontius lib. 12. cap. 6. Castro Palao Disp. 1. de Sponsal. pun. 7. Sponer ubi supra n. 420. Coninck Disp. 22. mon. 2. Ledesma de Matrim. dub. 13. & alii contra Sanchez lib. 1. Disp. 28. n. 2. Pirhing h. t. n. 25. Dianam p. 3. tr. 4. Resolut. 245. & alios volentes, nullam ex spondentibus partem antea teneri ad servanda Sponsalia, Reiffenstuel Jus Civ. Rom. IV.

etiam nubendum, quam cum pars altera id petat, & exigat. Probatur autem Conclusio nostra ex l. In omnibus 14. ff. de R. J. ubi habetur: In omnibus obligationibus, in quibus dies non opponitur, præfenti die debetur, & l. Eum qui, 41. §. Quoties. ff. de V. O. ibi. Quoties autem in obligationibus dies non ponitur, præfenti die pecunia debetur &c. Verum dies adjuncta efficit, ne præfenti die debeat. Ex quibus ultimis verbis clarè liquet, solum adimplendum diei, seu determinationem temporis (& non taciturnitatem alterius partis, ut vel Sanchez) facere, & efficere, quòd statim, id est, pro prima opportunitate non obligent Sponsalia; consequenter, si dies aut tempus determinatum non est, statim obligantur.

Confirmatur à simili in voto, quòd obligat pro prima opportunitate, nisi fuerit certus terminus præfixus; ut omnes etiam Adversarii admittunt, patetque ex illo Deuteronom. 23. v. 21. Cum votum voveris Domine Deo tuo, non tardabis reddere, & si moratus fuerit, reputabit tibi in peccatum. Accedit ratio; quia alàs, si votum sine determinatione temporis factum, non statim pro prima opportunitate obligaret, non posset designari tempus, quo obligare incipiat; consequenter, nunquam obligaret. Et hæc obligatio de voto maxime procedit in illo, quo quis pro toto vitæ tempore ad aliquid se obligat. Hinc cum etiam Sponsa promittat toto vitæ tempore conjugaliter vivere cum Sponsa, & vice versa hæc cum illo, tenebitur pro prima opportunitate promissum adimplere.

144 Obijcies cum Sanchez loc. cit. & sequacibus. In omni debito, cujus solutioni dies præfixa non est, debitor prius non tenetur solvere, quam fuerit requisitus à creditore l. Debitores præfentes. C. de Pignor. ergo, si nullum tempus Sponsalia adimplendi determinatum est, ea adimplere tandiu non tenetur una pars, donec ab altera requiratur. Nec valet paritas de voto assumpta, quia Deus per Legem suam illico, ac votum sine certo tempore emissum est, executionem exigit: quòd cum non fiat in casu Sponsalium, paritas non currit. Resp. negando Ant. quia cit. l. Debitores, ex qua antecedens probare vult Sanchez, non de quovis debito, aut debitore, ut minus rectè supponit Sanchez, sed solummodò de illis debitoribus, qui securitate debiti suis creditoribus pignora aut hypothecam dederunt, loquitur, & mandat ut, si creditor talia pignora distrahere vult, prius denuntiet debitori, consequenter pro intento Sanchez nihil probat. Quòd autem dicta Lex præcisè de præfentibus debitoribus loquatur, patet non tantum ex Rubrica Tituli, qui est de Pignoriibus & Hypothecis, sed etiam ex ipso textu Legis, quem integrum exhibeo, & sic sonat. Debitores præfentes prius denuntiationibus convenendi sunt. Igitur si conventi debito non satisfecerint, persequenti tibi pignora, aut hypothecas, quas Instrumento specialiter comprehensas esse, dicis, competens actionibus Reitor Provincie, autoritatis sue usum impertiri non dubitabit. Ex hoc textu clarè videt, quòd Lex non de omnibus, sed illis solis debitoribus, qui pignora dederunt, loquitur, & præfenti è disponat, creditorem pignora debitoris persequi non posse, nisi prius debitorem, si præfens est, denuntiatione moneat: consequenter pro intento Sanchez nihil probat.

Ad negatam paritatem de voto respondetur, quòd, sicut Deus per Legem suam, voti adimpletionem statim exigit, sic pariter Sponsalium adimpletionem statim exigant Sponsi (nisi de contraria voluntate eorum confect), per Legem continuè clamantem, ut in omnibus obligationibus, in quibus dies

dies non apponitur, presenti die debeat, l. 149 ff. de R. J.

147 Dices: Verum quidem esse, quod praefata Lex loquatur de debitoribus pignus extradentibus, nihilominus quia doctrina in principio Legis tradita (Debitores presentes prius denunciationibus conveniendi sunt) universalis est, etiam de aliis quibuscumque debitoribus intelligenda venit. Resp. Hanc instantiam nihilominus, consequenter nihil probare: probaret enim, quod etiam in casu, quo Sponsalibus certum tempus praefixum est, ad nubendum nulla pars prius obligaretur, quam ab altera requisita fuerit; cum prima illa citata Legis universaliter loquentia verba hunc casum non excipiant. Si dices, de huiusmodi Sponsalibus extare clara Jura alia n. 147. citata, quod tempore determinato obligent: vicissim dico, etiam pro illis Sponsalibus, quae sine determinatione temporis celebrata sunt, extare clara Jura n. 143. citata, quod videlicet statim; ac pro prima opportunitate obligent. Hinc, ut Jura Juribus concordemus, juxta c. Cum expediat. 29. de Election. in 6. dicere debemus, quod doctrina illa in principio Legis Debitores posita, praecise intelligenda sit de debitoribus, qui decesserunt pignus: praesertim cum dubius textuum sensus etiam ex Rubrica bene desumat juxta dicta in Proem. n. 104. & Jus minus clarum per magis clarum interpretationem accipiat.

148 Instabis: quando de determinatione temporis ad solvendum, pecunia mutuo, aut quid aliud precario datur, non statim ad iterum reddendum obligat: ergo idem dicendum erit de aliis obligationibus. Resp. concessio An. negando consequentiam & paritatem. Disparitas est, quod si Mutuatarius obligaretur statim iterum reddere mutuum, quando accepit, mutuum inutile foret: quod quia in aliis non reperitur, paritas cum mutuo non carrit.

149 Urgebis: quando nulla ex spondentibus pars nuptias urget, vel exigit, censetur quaevis obligationem pro prima opportunitate remittere, ac in dilationem consentire: ergo quamdum non sit requisitum, Matrimonium licite differri potest. Resp. Distinguo An. censetur remittere, si tales adiunt circumstantiae aut signa, ex quibus prudenter colligi possit, partem alteram dilationi consentire, conceditur: Censetur semper ac universaliter remittere, ex hoc solo, quod Matrimonium non urgeat, negatur.

Concedimus ergo ipsimet, quod, si ex circumstantiis prudenter colligi possit, partem alteram dilationi libere consentire, prout revera praesepit colligitur, licite differri possit Matrimonium: negamus autem ex tacuitate alterius talem consentium semper praesumi posse; consequenter, donec requisitum fiat, obligationem ad Matrimonium actu incedendum non currere. Cum tacente parte altera continuo clamet pro illo Lex universim dicens, quod in omnibus obligationibus ubi dies non apponitur, presenti die debeat, l. Eum qui ff. de V. O.

150 Ino faetur Sanchez ipsemet cum Sequacibus, quod, si una pars aut obliuiscatur, aut ex reverentia, vel alio timore non audeat urgere, aut petere, ut juxta Sponsalium obligationem Matrimonium pro prima opportunitate contrahatur, licet revera id desideret, prout praesepit in foeminis contingit; pars altera in conscientia tuta non sit, si Matrimonium pro prima opportunitate actu contrahere negligit: ex quo utique liquet Sponsalia sine determinatione diei celebrata, per se & ex natura sua obligare, ut pro prima opportunitate Matrimonium contrahatur, etsi ab una partium non requiratur; nisi ex circumstantiis prudenter colligere liceat, eam dilationi consentire, aut nisi juxta

causa differendi existat, prout habet Conclusio.

Ceterum placuit sententiam Sanchezii prolixius impugnare, & Conclusionem nostram firmare, quia teste experientia ex debitione Matrimonii ob Sponsalia praecedentia debiti, plurima praeventiva, plurimaeque oriri solent peccata praesertim fornicationum inter Sponsos, quae plane angere videntur per sententiam dicentem, eos, qui Sponsalia contraxerunt, tam diu non obligari ad actu incedendum Matrimonium, quamdiu una ab altera ad id non requiritur. Quod etiam considerans S. Congregatio apud Gallemart ad Concil. Trident. Sess. 24. c. 1. providit sic statuit: *Monentur sunt Sponsi, ut factis Sponsalibus quamprimum contrahant Matrimonium per verba de presenti coram Parocho, & testibus, ne Sponsa stupri periculum subeant.*

151 Queritur II. An, & quomodo compelli possit ac debeat is, qui vigore Sponsalium, aut ratione deflorationis, vel scitae promissionis ad Matrimonium incedendum obligatus, illud contrahere renuit, aut inique differt? Resp. Tale omnino posse, ac debere competentibus juris mediis ad Matrimonium compelli, nisi rationabilis causa obstitit. Sanchez lib. 1. de Matrim. Disp. 29. n. 4. Bosco in Theolog. Sacram. p. 5. Disp. 11. sect. 1. n. 32. Gutierrez Can. 99. lib. 1. cap. 18. n. 10. dicens, sententiam Conclusionis universalis totius Orbis praxi esse probatam. Castro Palao de Sponsal. Disp. 1. pun. 8. Covarruvias de Sponsal. p. 1. cap. 4. n. 3. Abbas in c. 2. h. t. n. 4. Leyman lib. 5. tr. 10. p. 1. cap. 1. n. 3. & 4. Pirhing. h. t. n. 17. cum communissima, & hodie certa aliorum, ita ut contraria opinio penitus derelicta, & universalis Tribunalium praxi adversa sit. Probat ex c. 2. de Adult. & Sup. ubi ille, qui ob stuprum ad ducendum stupratam obligatus renuit nubere, jubetur excommunicari, & sic indirecte cogi ad nubendum: & c. Ex litteris. 10. h. t. ubi Pictaviensi Episcopo expressis mandata Papa, ut Sponsalia adimplere renuentem compellat: ibi: *Fraternitati tuae mandamus, quatenus si hoc tibi confiterit, eum moneas, & si non acquieverit monitis, Ecclesiastica Censura compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstitit) in uxorem recipiat, & maritali affectione servet.*

152 Nec obstat, quod cit. c. 10. h. t. loquatur tantum de Sponsalibus juratis: Tum quia ibi tantum narratur facti contingentia, non autem disponitur, quod ex solo juramento contrahatur vis aut potestas compellendi ad Matrimonium. Sanchez loc. cit. n. 4. Tum quia subsequens ratio Conclusionis procedit de omnibus etiam non juratis Sponsalibus: videlicet, quod etiam Ecclesiasticus possit ac debeat quemvis compellere ad reddendum cuique id, quod ei ex iustitia debetur, etsi juramento aliquo obligatio contracta aut firmata non sit, per vulgaria potestque, & debet non tantum jurantem, sed etiam simpliciter promittentem, aut contrahentem debitis Juris mediis ad observandum compellere, maxime ad instantiam partis, c. 1. de Paol. ibi: *Aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus (si se non contulerit) Ecclesiasticam sentiat disciplinam. Universi dixerunt, pax servetur, pacta custodiantur. & c. 3. eod. ubi Summarium sic habet: *Judex debet studiosè agere, ut promissa adimpleantur.* Ubi, ut vides, Jura de quovis etiam non jurato pacto loquuntur.*

153 Objicies I. c. Requisivit. 17. h. t. ubi consultus Papa, quid faciendum de persona renuente adimplere Sponsalia etiam jurata, respondit: *Quod, cum libera debeant esse Matrimonia, monenda est potius, quam cogenda; cum coactiones difficiles solent exiis frequenter habere.* Resp. In hoc textu vel hypotenus iuni pro prius, ut sensus sit: renuentem nubere

nubere, potius, id est prius monendam esse, quam cogendam; coactionem vero sequi primum debere, monitione nihil efficiente; uti explicat hic Glossa v. *Cum libera. arg. can. Non invenitur. 41. caus. 23. q. 4.* vel textum loqui de casu, quo rationabilis causa obstat, ut si ex compulsione prudenter timeunda forent gravia scandala, graveque ac perpetuae inimicitiae; prout communiter interpretantur Doctores, & patet ex ratione textui subjuncta, videlicet; *quia coactiones difficiles solent exiis frequenter habere.* Et hac duplici responsione optime concordantur Jura, salvaturque iusta Tribunalium praxis.

154 Objicies II. In obligationibus Facti nemo compelli debet, cum sufficit, quod debitor interesse praestet, arg. l. Stipulationibus 72. §. Celsus. ff. de V. O. ergo nullus ad Matrimonium, utpote Factum aliquo compelli potest, sed sufficit, si loco illius interesse praestet illi, cui promisit aut aliis debet Matrimonium. Resp. cum Bosco loc. cit. Legem in antecedenti citatam locum non habere in iis, quae estimationem non suscipiunt, qualia sunt Matrimonia, utpote spiritualia quid. Hinc etsi Sponsus v. g. dicat & offerat se, quod loco Matrimonii debiti velit eidem certam Summam pecuniariam, & etiam reliquum praestare interesse, non tenetur Sponsa accipere, sed inflare apud Judicem potest, ut iudicis competentibus renuentem cogat ad nubendum. Nam autem, & quando pro remissione obligationis Matrimonialis pars una ab altera praetendere, vel accipere possit pecuniam, aut aliud temporale, dicemus infra num. 167. & seq.

155 Resp. II. Modus, & media, quibus renuens contrahere Matrimonium, ad quod vigore Sponsalium, aut alia ratione tenetur, compellendus est, sunt sequentia: videlicet, ut Judex renuentem ante omnia debito modo moneat, & adhortetur, ad iudicium etiam minus, quatenus obligationi suae satisfaciatur: Dein vero, si monitione nihil efficit, adhibere debet carceres, aut alias poenas corporis afflictivas (si eas adhibendi occasionem habet) ac tandem, si nec his aliquid efficit, censuram Excommunicationis compellere debet. Primam partem, quod prius moneri debeat renuens, tenent omnes obtextum clarum c. Ex litteris. 10. h. t. ibi: *Moneas, & si non acquieverit monitis &c. compellas, concordat can. Non invenitur. 41. cau. 23. q. 4. ubi pro ratione & modo praescribitur, ut monitio severitatem praecedat.*

156 Secunda pars, videlicet, quod a monitione aut minus nihil proficiens possit ac debeat adhibere carceres, aut alias poenas docet Fagnanus in c. Pervenit. de Adult. a. n. 10. Babola in Concil. Trident. Sess. 25. cap. 3. de Reform. n. 19. Mar. Ant. Genu. in Paol. Eccles. q. 780. n. 3. Castro Palao de Sponsal. Disp. 1. pun. 8. n. 2. qui cum communi & hodie certa asserunt Judicem Ecclesiasticum in causis tam civilibus quam criminalibus ad se pertinentibus, omnino posse carceribus & aliis poenis corporis Laicos compellere, quin & debere hoc facere, antequam ad Censuras Excommunicationis aut Interdicti contra eos in praefatis causis procedat.

157 Eo quod licet olim de Jure communi censura Excommunicationis fuerit remedium ordinarium, quo pro executione sententiae suae uti debeat Judex Ecclesiasticus, arg. c. Dil. de Sentent. Excom. in 6. districto vero personalis, ac brachium saeculare fuerit remedium extraordinarium, seu subsidiarium, utpote tunc solummodo adhiberi solitum, quando Censuris nihil efficiebatur, uti loc. cit. n. 31. bene observat Fagnanus citans S. Congregationis Decretum: tamen hodie post Concilium Tridentinum

deninam res inverso ordine se habet, ita ut Censura Excommunicationis sit remedium extraordinarium secundarium, ac quasi subsidiarium; executio vero realis, aut personalis sit remedium ordinarium, ac primum; hoc ipso, quod hodie Judex Ecclesiasticus Censuras adhibere non queat, quando executio realis aut personalis fieri potest; prout totum clare patet ex praefato Concil. Trident. Sess. 25. de Reform. cap. 4. ibi: *Quamvis excommunicationis gladius nrvus sit Ecclesiastica disciplina, & ad continentos in Officio populos valde salutaris; sobrie tamen, magnaeque circumspeditione exercendus est; cum experientia doceat, si temere, aut levibus ex rebus incutitur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere quam salutem. Quapropter &c. In causis judicialibus mandatur omnibus Judicibus Ecclesiasticis, cujuscumque dignitatis existant, ut quandocumque executio realis, vel personalis in quolibet parte iudicii, propria auctoritate ab ipsis fieri potest, ut sineant se tam in procedendo, quam designando a Censuris Ecclesiasticis, seu Interdicto, sed liceat eis, si expediri viderentur, in causis Civilibus ad Forum Ecclesiasticum quemadmodum pertinentibus contra quoscumque etiam Laicos, et mulctas pecuniarias, quae locis piis ibi existentibus, eo ipso quod exactae fuerint, assignentur; seu per captionem pignorum, personarumque distinctioem per Jura proprios, aut alienos ex. uxor. faciendam, sive etiam per privationem beneficiorum, aliaque Jura remedia procedere, & causas designare. Quod, si executio realis aut personalis adversus eos hac ratione fieri non poterit, sique erga Judicem contumacia: tunc etiam eos Anathematis munctione arbitrio suo, praeter alias poenas servare poterit. In causis quoque criminalibus, ubi executio realis vel personalis, ut supra, fieri poterit, erit a Censuris abstinendum: Si si dictae executionis facile locus esse possit, licet ibi iudici hoc spirituali gladio in delinquentes uti; si tamen delicti qualitas, praecedente binas saltem monitiones etiam per Edictum, id possit.*

158 Tertia tandem Conclusio num. 156. postulat pars, videlicet, quod monitis & aliis mediis nihil praesertentibus, renuentem etiam Censuram Excommunicationis ad nubendum compellere possit ac debeat Judex Ecclesiasticus, est communis, & hodie controversia caret, utpote comprobata universalis Tribunalium praxi; patetque clare tum ex c. Ex litteris. 10. h. t. ibi: *Si non acquieverit monitis, Ecclesiastica Censura compellas, ut ipsam in uxorem recipiat: Tum ex Concil. Trident. loc. cit. §. Quod si executio &c.*

159 Sed quaeres, quid Jura, si Judex ipsemet proprium saeculare brachium, aut familiam, qua renuentem capere, carcerare, aut personaliter perstringere possit non habet? An tunc ante Censuram teneatur implorare Judicis laici brachium, aut familiam? An vero hoc neglecto statim valeat Censuras adhibere? Ratio dubitandi, & negativam tenendi, videlicet, quod Censuras adhibere non possit, nisi prius brachium saeculare Judicis laici imploret, esse videtur: Tum quia juxta dicta supra num. 158, universaliter loquendo post Concilium Tridentinum loc. cit. Executio manifestio non amplius est medium ordinarium, sed extraordinarium: Tum quia id ipsum in sinuare videtur Concilium loc. cit. ubi dicitur, quod Judex Ecclesiasticus ante Censuram peritiam districtioem per proprios, vel NB. alienos executores facere debeat. Favet etiam ratio Concilii Tridentini loc. cit. ad initium statum posita.

160 Nihilominus respondetur, Judicem Ecclesiasticum cum in casu, quo ipse naru, aut familiam armatis caret, pro executione sententiae suae non teneri implorare brachium Judicis saecularis, quantumvis

si id ei expedire videtur, facere possit. Patet responso ex sepe allegato textu Concilii Tridentini Sess. 25. de Reform. cap. 3. ubi tunc tantum a Censuris abstinentiam vult, quando executio realis aut personalis ab istis Judicibus Ecclesiasticis propriam auctoritatem fieri poterit; ergo a sensu contrario si ab ipsis propriam auctoritatem fieri non poterit, abstinere non tenentur. De n. quando prescribitur distinctionem personarum ante adhibitas Censuras per proprios, aut alienos executores faciendam, non dicit, quod ea a Judicibus Ecclesiasticis necessarium fieri debeat, sed tantum quod liceat eis, si expedire videbitur; consequenter non tenentur; cum nemo teneatur ut privilegio sibi ad libitum concessio, presertim si expedire non videtur, prout sepe contingit; cum ex eo, quod Judicibus Ecclesiasticis invocent brachium Judicum laicorum, hi non raro presument petere revisionem Actorum, aut cavillare ejus sententiam, vel partes ad inobedientiam, & contumaciam excitare &c. Qui tamen Judices ad exhibendum brachium factum, ac invocantur, tenentur, & nolentes exhibere a Jure Ecclesiastico spiritualibus penis cogi possunt: Covarruvias Pract. qq. q. 10. n. 1. arg. c. 2. de Maledictis, & ibi Glossa v. Contra eum. juncto can. Administratores. cau. 23. q. 5.

162. Porro illud etiam observandum cum Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 96. n. 39. & in Concil. Trident. ubi supra n. 157. Gutierrez. Marc. Ant. Genu. & alius, quod, si Episcopus neglectis aliis mediis etiam ad manum habitis illic Censuras pro executione sententiae contra reuientem Reum adhibeat, illicite quidem, tamen valide agat. Censuraeque sic inflictae valeant, & vim suam habeant; ut cum aliis docet Barbosa de Offic. & potest. Episc. Alleg. 96. n. 39. & in Concil. Trident. Sess. 25. de Reform. cap. 3. n. 11. ubi plures alios citat. Ratio est, quia Concilium loc. cit. non annullat Censuram latam contra modum ibidem prescriptum; sed tantum injustam, ac illicitam declarat: Nam universaliter textus prescribens modum in quavis executione faciendam, hanc admittit interpretationem, quod executio aliter facta non subiaceat nullitatis, arg. l. A. D. Pio. §. In Vindicatione. ff. de Re judic. & ibi Bartolus n. 8.

163. Queritur III. Quid Juris, si adhibitis omnibus mediis, etiam Censuris, Reus nihilominus renuat nubere? Resp. I. Talem finaliter non posse cogi ad nubendum; sed debere dimitti & absolvi; presertim si advertatur magna animorum aversio, ita ut ex futuro Matrimonio timende forent perpetuae inimicitiae, jurgia, scandala &c. Sanchez lib. 1. Disp. 29. n. 4. & 8. Glossa fin. in c. 2. de Adult. Covarruvias de Sponsal. p. 1. cap. 4. n. 3. & seqq. Joan. Andreas in c. Ex litteris. 10. h. t. n. 12. & ibi Anchoranus n. 5. Gutierrez de Juram. p. 1. cap. 51. n. 4. cum communi aliorum, arg. c. Requisivi 17. h. t. ibi: Cum libera debeant esse Matrimonia, monenda est potestas, quomodo cogenda; cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere; quod intellige de finali & nimia coactione, juxta dicta supra & c. Ex litteris. 10. b. t. ubi Censuris compelli jubetur renuens nubere, nisi rationabilis causa ostenderit: atqui revera prudenter colligere potest, praefatam animi aversionem; ergo: presertim cum expediat, ut Ecclesia ad evitandum majus, admittat minus malum; majus autem videtur malum, oriri perpetuas inimicitias, ac jurgia, quam frangere Sponsalia. Accedit, quod Judex a coactione nimia & finali destitens profit ipsi etiam Actori, utpote ejus damnum grave ex Matrimonio petito securum avertit, sicut prodest & favet denegans gladium petenti ad se occidendum, Sanchez loc. cit.

Imò ob dicta Jura & rationes Sanchez loc. cit. n. 4. & 7. plures alios citans, Covarruvias de Sponsal. p. 1. cap. 4. §. 1. n. 5. & alii volunt Judicem omnino abstinere posse a Censura, si prudenter praevideat, quod illud nihil efficiat, ut praevidere potest, si animi aversio nimia dignoscitur.

165. Porro. Non est absolute necesse, ut juridice constet Judici de scandalo, aut alterius gravis mali periculo secuturo ex futuro Matrimonio contractu, sed sufficit, si Judex ex circumstantiis prudenter arbitretur, scandala, aut continuas inimicitias esse timendas. Sanchez loc. cit. n. 6. arg. c. Requisivi. h. t. ibi: monenda est potestas quomodo cogenda. & c. 2. eod.

166. Obijcies contra Conclusionem, textum Concilii Tridentini Sess. 25. de R. Form. cap. 3. ubi ad finem de Excommunicationis sic habet: Excommunicatus quicumque, si post legitimis monitiones non respuerit, non solum ad Sacramenta, & communionem fidelium, ac familiaritatem non recipitur, sed si obdurato animo Censuris innoxius, in illis per annum inforduerit, etiam contra eum tanquam de haeresi suspectum procedi possit: ergo idem dicendum de illo, qui jam excommunicatus, ut nubat, nubere renuit, & in Excommunicatione infordescit; Resp. Hunc textum in causa Matrimonii, utpote in quo libertas de essentia est, arg. c. 17. h. t. cum concordantis, non procedere; cum Jura ipsa velint, neminem finaliter esse cogendum ad Matrimonium, esseque abstinentiam a Censuris, si rationabilis causa obstitit per Jura supra num. 163. citata. Quibus accedit universalis Ecclesiae praxis & consuetudo, optima Legum interpres, L. 37. ff. de Legib. quae habet, ut dicta Concilii dispositio contra infordescit in Excommunicatione, ob non contractum Matrimonium lata, minime observetur: quamvis observari possit ac debeat, si in causa Matrimoniali Reus excommunicatur ex eo, quod renuat seducte dare dotem, aut compensare damnum eidem per dissolutionem injuste illatum; quia ad hoc finaliter cogi potest ac debeat; cum ad hujus executionem libertas essentialiter non requiratur, ut ad Matrimonium. Et ex hoc discrimine inter coactionem ad Matrimonium, & coactionem ad dotandum, aut restituendum est bene notandum.

167. Queritur IV. An ex eo precisè, quod quis obligationem nubendi, quae alteri eidem ob Sponsalia obstrictus est, remittat, pretendere, aut pacificè possit compensationem pecuniariam, dicendo v. g. si mihi das centum aureos, remittam tibi obligationem mihi nubendi, quam per Sponsalia mecum inita, contraxisti, secus te non dimitto? Item an Judex ex eo precisè, quod quis nubere renuat, ad compensationem pecuniariam adigere renuentem valeat? Resp. Certum est, quod, si ex remissione talis obligationis pars remittens patiarur aliquod damnum v. g. quia aequè commodas nuptias acquirere amplius non potest; vel quia jam multas fecit expensas, possit petere compensationem pecuniariam ab altera parte, causam restituendi justam non habente, possitque, ac debeat Judex tali absolute legitima causa nubere renuenti dictam compensationem imponere, Sanchez lib. 1. Disp. 30. n. 14. Barbosa in c. Gemmam h. t. n. 9. & 10. cau. 4. n. 181. & alii. Videtur carere controversia: Imò tenetur talis ante omnem Judicis sententiam damnum injustè illatum rescarcire; cum quavis injustè damnificans ad hoc teneatur, arg. sepe cit. l. un. C. de sent. que pro eo. & c. fin. de injur. & dam. Ratio patet; quia cum contrahens Sponsalia ex justitia teneatur servare fidem, & sine causa legitima eam non servans alteri faciat injuriam; ac insuper, uti suppo-

supponitur, injustè inferat damnum; utique pro hoc pari innocens satisfactionem pretendere poterit, & Judex, ut praesertim, mandare debet, si Matrimonium, ad quod finaliter cogi non potest, sine legitima causa remittat; siquidem Judex ex officio tenetur compellere ad reddendum cuique quod suum est, & ex justitia debitum. Imò tenetur talis ante omnem Judicis sententiam damnum injustè illatum rescarcire, cum quavis injustè damnificans ad hoc teneatur, per Jura primùm citata.

168. Inferitur, quod, quia ex dissolutione Sponsalium alteri parti praesertim Sponsalia ordinariè aliquid confurgit praesudicium & damnum, utpote quae ex eo, quod jam aliquando fuerit alteri desponsata, non amplius ita aestimatur, sed jam aequaliter vilipenditur, & suspitionis subjacet, indeque nuptias aequè honestas ac commodas acquirere amplius nequeat, ordinariè pro remissione obligationis dicte, compensationem pecuniariam pretendere, ac pacificè, Judexque concedere possit: Imò sine causa resiliens aut eam compellere debeat; quamvis si pars innocens nimium pretenderet, moderari, ac arbitrio suo justo debitam quantitatem taxare posset, & deberet, nisi pars resiliens praetentioni etiam immodice liberè consentiret, scienti enim & consentienti non fit injuria neque dolus c. scienti de R. J. in 6.

169. Resp. II. Etiam si eadem dissolutione Sponsalium pars innocens nullum patiarur damnum, potest nihilominus ab altera parte, esse sine legitima causa ab obligationis vinculo liberari vult, aut nubere renuit, satisfactionem pretendere, ac pacificè potest eam Judex non tantum concedere, sed etiam debet ad eam compellere Reum, si nullam aliam legitimam habet restituendi causam, quam quia nubere huic, cui promissit, non vult, eamque avertere. Hanc conclusionem docet Gobath. tr. 10. cas. 4. a. n. 177. eamque praxi plurimum D. ecclesiam firmatam dicit; idem amplius cas. 6. ibid. docet: & ex consequenti idem tenent etiam omnes alii qui docent, quod Sponsalibus adijci possit poena solvenda ab eo, qui absque legitima causa a Sponsalibus resilit, probarique potest istdem fundamentis de quibus vide §. seq. d. n. 188. si enim ante Sponsalia potest apponi poena, ne quis injustè resiliat, etiam potest post illam apponi, & dicit: non te dimittam sine justa causa, nisi pendas mihi tot pecunias.

170. Confirmatur: potest pars innocens ex dissolutione Sponsalium nullum damnum patiens petere; ut absque legitima causa injustè resiliens, aut resiliere volens corporaliter puniatur, imò etiam excommunicetur, debetque Judex ita petenti deferre, imò ipsa instantiam non faciente dictas poenas ex officio insigere per dicta supra num. 166. arg. c. Ex litteris 10. h. t. & Concil. Trident. Sess. 25. de Reform. cap. 3. ergo etiam poterit poenam pecuniariam pro sua satisfactione pretendere. Nam cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus. l. Cui. 53. de R. J. in 6. poena autem pecuniaria levior est quavis poena corporali, l. In servorum. §. fin. ff. de Penis. consequenter poterit etiam, quin & debet Judex ita petenti deferre, & nolentem adigere, ut injustè resiliens satisfactionem pecuniariam praesertim parti innocenti; praesertim cum alias de Jure Judex in penis insignendis semper, quantum fieri potest, debet incipere a poena minori. arg. c. Veniat, junctâ Glossâ vert. Excommunicationis. de Dolo & contum. & c. Quoniam. §. In aliis, ut licet constituta, ac l. Relegati. ff. de Penis, dictamque est amplius lib. 2. Tit. 14. de Dolo & contum. §. 5. n. 128.

171. Confirmatur II. Potest juxta omnes pars innocens Resiliens Jux. can. Tom. IV.

cens injustè resiliens accusare, item potest petere, ut carceretur, excommunicetur &c. ergo, ne hoc faciat, potest exigere pecunias, cum juxta communem DD. teste Gobath. loc. cit. n. 180. pro Jure accusandi liceat pacificè de Summa pecuniaria.

172. Confirmatur III. Qui absque legitima causa a Sponsalibus resilit, & nubere renuit, injustè agit, gravemque pretio aestimabilem inferat injuriam parti innocenti, uti cum communissima aliorum bene docet Sanchez lib. 1. Disp. 27. n. 2. eò quod omnis contractus, qualis etiam sunt Sponsalia, ex justitia obliget, per vulgaria: ergo pro satisfactione hujus injuriae competentem exigere potest, & Judex ad instantiam mandare debet satisfactionem etiam pecuniariam, cum universaliter injuriae illatae etiam satisfactione pecuniaria redimi, ac puniri possint ac soleant, ut patet in aliis contractibus, uti notat Sanchez ubi supra n. 14.

173. Confirmatur IV. praxi Tribunalium, quae constat, quod ab injustè resiliente petatur, acquiratur compensatio pecuniaria. est de damno non doceatur. Gobath tres enumerat. Dioeceses hanc praxin habentes.

174. Obijcies. Matrimonium est quid spirituale, & aestimationem non recipit; ergo pro dimissione illius ab altero promissi exigi aut accipi non potest. Resp. Concesso At. negando cons. & supposito; quia in tali casu pars innocens non petit aliquid principaliter pro Matrimonio dimittendo, sed vel pro damno emergente, vel (si hoc abest) pro injuria sibi illata aut inferenda, vel pro remissione Juris Reum accutiandi, eumque penis subijcendi; quae cuncta aestimationem accipiunt.

Dices. Matrimonia debent esse libera, arg. c. Gemmam. b. t. atqui talia non essent, si nubere renuens sub poena pecuniaria ad illud cogi posset; citò talis timore poenae Matrimonium coactus iniret: ergo. Ad hanc instantiam patebit §. seq. n. 191. & 194.

175. Interim notandum, quod, si nullum ex dissolutione Sponsalium sequatur damnum parti innocenti, satisfactio pecuniaria pro sola injuria ab injustam Sponsaliorum fractionem illata, debeat esse moderata, & non excessiva, consequenter non arbitrio petentis, sed Judicis pro diversitate personarum, ac circumstantiarum prudenter taxanda; nisi forsitan pars resiliens liberè consentiat plus aequo petenti parti innocenti; quia cum quavis rerum suarum modera or & arbiter existat. l. In re mandata. C. Mandati. utique pluraquam debet liberè dare potest, & forsitan ideo facit, ut citò liberetur a vinculo & veza, aut ut alteri, cui vult, citò nubere valeat. Nec exinde ulla irrogatur ei injuria; cum Scienti & consentienti non fiat injuria neque dolus, c. Scienti. 27. de R. J. in 6.

§. VI.

De Arthi, Penis, & conditionibus Contractui Sponsalio appositis.

S U M M A R I U M.

- 176 Arrha quid? quomodo differat a Poena?
- 177 Arrha licet opponitur Sponsalibus.
- 178 Et quidem in quavis quantitate & specie?
- 179 Injustè resiliens perdit Arrham, nubens vero illam iterum acquirit.
- 180 Nisi aliud habeat consuetudo.
- 181 Arrha esse non presumitur, nisi exprimat. Ibid.
- 182 Accipiens Arrham in duplo restituere debet, si injustè resilit.

- 182 *Nisi sit minor etate.*
- 183 *Possum convenire partes, ut in quadruplo restituatur.*
- 184 *Utraque pars dare, & accipere potest Arrham.*
- 185 *Iusta ex causa resiliens non in duplo, sed in simplo restituere tenetur Arrham.*
- 186 *Imò nec in simplo, si pars altera culpabiliter ponat causam, quòd Matrimonium non sequatur.*
- 187 *Secundùm aliquos non licet apponere penam sponsalibus.*
- 188 *Probabilis est contrarium.*
- 189 *Quia non est contra Jus naturale.*
- 190 *Nec contra humanum.*
- 191 *Nec contra rationem Legis.*
- 192 *Probatur ex Jure Civili.*
- 193 *Non est contra Jus Canonicum. Et num. seq.*
- 195 *Probatur ulterius, & solvitur instantia. Et nu. seq.*
- 197 *Probatur à paritate Arrhæ.*
- 198 *Probatur ulterius ex utroque Jure.*
- 199 *Solvuntur objectiones. Et num. seq.*
- 200 *De conditionibus Sponsalibus, si Papa dispensaverit. Remissivè.*

176 **Q**uaritur I. An, & quomodo in contractu Sponsalium possit tradi Arrhæ, & ad quem pertinet Matrimonio secuto, vel non? Ante Responsum notandum Arrham ad propositum esse id, quod traditur Sponso, vel Sponsæ in argumentum seu signum, atque firmationem Sponsalium contractuum. Bosco ita in infra cum aliis. Est autem inter Arrham & penam hæc differentia, quòd Arrha sit aliquod traditum, amittendum, vel restituendum ab eo, qui injustè resilit. Pena vero sit aliquid in futurum primum solvendum ab injustè resiliente, ut com Sanchez lib. 1. de Matrim. Disp. 35. n. 4. & aliis bene observat Bosco in Theolog. Sacram. Disp. 11. sect. 1. Concl. 11. n. 329. H. N.

177 **R**esp. I. Licet & valide in contractu Sponsalium tradi, & accipi possunt Arrhæ. Sanchez loc. cit. n. 2. ubi dicit, convenire in hoc Doctores. Bosco loc. cit. Concl. 10. Pirhing h. t. n. 25. Castro Palao de Sponsal. Disp. 1. punc. 12. §. 1. n. 4. Alciat. Bartol. cum communi & certa aliorum, ob clara Jura l. Arrhis. 3. & l. Mulier. 5. C. de Sponsalibus; ubi ad longum disserit de Arrhis, simulque disponitur, quando & quomodo sint restituendæ.

178 **R**esp. II. Arrhæ tradi possunt in quavis quantitate, ac specie, v. g. etiam fundus, domus &c. arrhæ locò tradi potest. Sanchez lib. 1. Disp. 35. n. 9. & 12. Bosco loc. cit. n. 318. Hostiensis in Summa de Sponsal. §. 1. n. 1. Covarruvias de Matrim. p. 2. cap. 3. §. 7. n. 11. Castro Palao loc. cit. n. 6. & alii fat communitè contra Joan. Andream in c. Gemma. 29. h. t. n. 9. & ibidem Abbatem n. 8. ac alios volentes quòd, si Arrhæ tanta sit quantitas, ut considerata qualitate personarum timor eam amittendi adigat ad Matrimonium, ea non licet, nec valitè apponi valeat. Probatur autem Conclusio nostra ex eo, quòd Leges num. præced. allegatæ traditionem Arrhæ concedentes, universaliter ac indistinctè loquantur, ut legenti patet, consequenter indistinctè ac universaliter intelligi debeant, arg. l. De pretio. ff. de Public. in rem. ad. Confirmatur, juxta Leges n. 177. allegatas potest conveniri, ut resiliens à Sponsalibus Arrham in triplo, vel quadruplo restituatur; quin lædatur necessaria libertas Matrimonii: ergo statim ab initio tanta quantitas Arrhæ tradi potest. Eadem Conclusio magis adhuc firmabitur ex conclusione n. 188. ponendâ ubi dicemus, etiam Penas apponi posse Sponsalibus solvendâs ab injustè resiliente.

Resp. III. Arrham, quam in contractu Sponsalibus quis tradit, ipso facto perdit, si injustè à Sponsalibus resilit; Matrimonio autem securo denuò acquirat, Sanchez lib. 1. Disp. 36. n. 2. Covarruvias de Matrim. p. 2. cap. 3. §. 7. n. 13. Sylvester v. Sponsalia. q. 9. arg. cit. L. 3. & L. 5. C. de Sponsal. Ratio est, quia Arrha traditur in signum, & quasi pignus futuri Matrimonii, sicut traditur in contractu venditionis; ergo, sicut si quis à contractu venditionis sine legitima causa resilit, Arrham perdit, pr. Insti. de Empt. vendit. & e contra illam contractum adimpleto iterum acquirat, pariter de Arrha in signum Matrimonii traditâ dicendum erit.

Observat tamen bene Layman lib. 5. tr. 10. p. 1. 180 cap. 1. n. 8. consuetudine receptum esse in pluribus locis, præsertim Germaniæ, quòd etiam secuto Matrimonio Arrha aliquando tradita non amplius restituatur, sed maneat recipienti, sicut jocalia, & alia ex Sponsalitia largitate invicem donata, quæ ceteroquin ab Arrhis in hoc distinguuntur, quòd non dentur in signum aut pignus futuri Matrimonii, sed in signum affectûs vel amoris: imò quando quid datur, & non exprimitur, quòd detur in signum seu pignus Matrimonii (aus die Ehe,) censetur ex Sponsalitia largitate datum, ut bene advertit Sanchez lib. 1. Disp. 35. n. 1. & sequitur Bosco loc. cit. n. 312. ac alii.

Resp. IV. Quando unus solus tradit Arrham, & recipiens illam injustè resilit à Sponsalibus, in duplum restituere debet, id est, Arrham quam accepit, & insuper tantundem de Matrimonio suo, Sanchez lib. 1. Disp. 36. n. 7. Pirhing h. t. n. 25. Abbas in c. Gemma. h. t. n. 8. Layman loc. cit. & communis aliorum, arg. L. Mulier. 5. C. de Sponsal. ubi Summarium sic habet: *Qui contraxit Sponsalia, & ea non vult exequi; si est atatis legitima, Arrhas, quas accepit, restituit duplicatas.* Concordat textus statim adductus.

Dicitur autem notanter in Conclusionè: *Nisi sit Minor*; quia limitationem hanc citata Lex ipsamet apponit, tam in Summario, quàm textu: in Summario illis verbis: *Si minor, solùm, quas accepit, in textu Legis verò illis verbis: Mulier Juris sui constituta, Arrharum Sponsalium nomine usque ad duplum teneatur, id est, quod accepit, & aliud tantundem, nec amplius, si post completum vigesimum quintum annum, vel post impetratam veniam etatis hujusmodi Arrhas accepit. In simplicium autem, id est, tantummodò in id, quod accepit, si minoris etatis est.* Et hæc de Jure, ac seclusâ speciali conventionè.

Nam possunt convenire inter se Sponsi, quòd Arrhæ etiam in majori quantitate, v. g. in triplo, vel quadruplo restituatur, ut aperitè habetur citatâ L. Mulier. ibi: *Nisi specialiter ex communi consensu inter contrahentes de quadrupli ratione placuerit.*

Resp. V. Si uterque contrahentium Arrhas dedit, ac recepit (prout bene fieri posse docet Sanchez lib. 1. Disp. 35. n. 13. Bosco loc. cit. n. 321. & alii; cum leges absolutè loquantur) tunc injustè resiliens perdit, quas dedit, & debet restituere, quas accepit. Sanchez loc. cit. Disp. 36. n. 9. Bosco loc. cit. Pirhing h. t. n. 25. & alii, arg. cit. L. Mulier. 5. C. de Sponsal. ubi universaliter dupli restituito imponitur accipienti Arrhas, si injustè resilit; quæ restituito observatur, si modo in Conclusionè posito sit. Limita Conclusionem in Minore, uti n. 182.

Resp. VI. Quæ dicta sunt de amissione Arrhæ ac restitutione in duplum intelligi debent, si injustè quis resilit à Sponsalibus: siquidem quando ex iusta ac legitima causa id facit, Arrham, quam dedit, non perdit, nec recepit in duplum restituere tenetur, sed satisfacit, si, quod accepit, restituit.

tuat. Sanchez lib. 1. Disp. 36. n. 4. dicens, ita docere universos, Layman loc. cit. n. 8. Engel h. t. n. 7. cum communi, arg. l. Arrhis. 3. C. de Sponsal. Ratio est; quia cum amittit Arrhæ traditæ, & in duplo restituito acceptæ constituta habeatur in penam; pœna autem esse non possit, ubi non est culpa l. Sancimus. 22. C. de Pœnis, palam est, eum, qui legitima ex causa, adeoque absque culpa resilit, præstatam penam non incurere, consequenter nec Arrham traditam amittere, nec recepitam in duplo restituere debere, sed satis facere, si, quod recepit, restituit.

186 **I**mò si pars Arrham tradens, culpabiliter ponat causam, quòd Matrimonium non sequatur, aut recipiens Arrham justè resilitè possit, v. g. quia est in culpabili mora Matrimonium contrahendi, & interea alteruter Sponsalium moritur; vel quia Sponsa fornicatur, aut aliâs injustè ponit impedimentum Matrimonii, acceptam Arrham etiam in simplo restituere non tenetur, sed resine: potest tam eam recipiens, quàm hæredes ejus. Sanchez lib. 1. Disp. 36. n. 4. Sylvester v. Sponsalia q. 9. dicto 4. & Glossa in l. Arrhis, in l. Mulier, & de Sponsal. arg. cit. l. Arrhis. C. de Sponsalibus; ubi postquam statim Legislator, ut Arrhæ, Sponsaliorum nomine datæ, sit interea addit, ut Sponsa decesserit, restituitur, statim addit: *nisi causam, ut nuptiæ non celebrarentur, defuncta persona jam præbuit.* Ratio est; quia, cum talis persona sit in culpa, quòd Matrimonium non sequatur, merito sentit penam, amissionem nempe Arrhæ; sancitur enim, *ibi esse penam, ubi & noxa est, cit. l. Sancimus. C. de Pœnis.*

187 **Q**uaritur II. An Sponsalibus etiam apponi possit Pena Conventionalis solvenda ab eo, qui ab illis resilit: v. g. an Sponsi tali, aut simili modo convenire possit? Quicunque inter nos à Sponsalibus resilit, teneatur alteri in penam solvere 100. florenos. Ratio dubitandi, ac negativam tenendi est, quòd utrumque Jus talem appositionem pœnæ prohibere, ac irritare videatur, additâ causâ; quia libertas debet esse in contrahendo Matrimonio, quæ libertas læderetur per pœnæ appositionem, dum multo timore solvendæ pœnæ appositæ Matrimonium inirent, quòd absente pœnâ neutiquam contraherent. Videamus textum utriusque Juris: nam Jure Civili l. Mulier. 5. C. de Sponsal. expressè ita statuitur: *Extra definitionem Legis hujus, si cautio penam stipulationis continens fuerit interposita, ex utraque parte nullas vires habebit, cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat: cui concordat l. Titia 134. ff. V. O. ubi contra bonos mores & inhonestum esse dicitur vinculo pœnæ Matrimonia àstringi sine futura, sine jam contracta.* Jure Canonico idem videtur statutum c. Gemma. 29. h. t. ubi contra appositionem pœnæ in Sponsalibus statim ita definit Papa: *Cum itaque libera Matrimonia esse debeant, & idè talis stipulatio propter pœnæ appositionem sit merito improbanda, mandamus, quatenus si est ita eundem, ut ab extorzione pœnis desistat, Ecclesiastica censurâ compellat. Propter hæc itaque Jura & rationes eorum ad Questionem negativè respondet Sanchez, & addit (sed malè) ita docere Omnes, docet tamen idem communissimè Doctores, ut Abbas in c. Gemma. 29. h. t. & ibi Barbosa n. 1. Joan. Andreas n. 9. Covarr. de Sponsal. p. 2. cap. 3. §. 7. n. 7. Sanchez de Matrim. lib. 1. Disp. 30. n. 2. Gutierrez de Matrim. cap. 17. prin. & ut dixi communissima aliorum, qui ore sepe concordati rationem differentie, cur licet apponere Arrham, & non penam, istam assignant; quia, cum Arrhæ illic & acta traduntur, maturiori Consilio traduntur: pœnæ verò, quia primum in futurum solvendæ apponuntur, facilius & inconsideratè promittuntur solven-*

dæ; eò quòd quilibet proclivior sit (ait ex Bart. Barb. loc. cit. n. 3.) ad verba ex ore quam ad pecunias de crumena depromendas. Et hinc putant, lædi libertatem Matrimonii per appositionem pœnæ, non item Arrhæ, verùm his non obstantibus. Resp. Itaque licitum, & validum est, in Sponsalibus apponere penam solvendam ab eo, qui ab eis injustè resilit. Ita docet Bosco in Theolog. Sacram. Disp. 11. de Matrim. sect. 1. Concluf. 11. ubi Conclusionem insigniter probat; eandem sententiam tanquam probabilioriter defendit Pontius de Matrim. lib. 12. cap. 19. num. 8. Eandem sequitur Layman lib. 5. tr. 10. p. 1. cap. 1. num. 8. Coonick Disp. 22. dub. 5. Engel h. t. Diana p. 3. tr. 4. resolut. 211. eidem adherere videtur Suarez Tom. 2. de Relig. lib. 2. de Juram. cap. 23. n. 5. in fine. Vasquez in Opusc. de Testam. cap. 3. n. 38. Castro Palao de Sponsal. Disp. 1. punc. 9. n. 3. Gobath Tr. 10. casu 4. a. n. 172. Barbosa in c. Gemma. 29. h. t. n. 8. & 9. Perez de Matrim. Disp. 7. sect. 1. n. 6. Godofr. in l. Titia. ff. de V. O. v. quia inhonestum, & alii, ut prinè malè dicat Sanchez loc. cit. contrarium docere universos.

Probatur. Nec Jure naturali, nec positivo prohibuitur est apponere penam, ne quis resiliat à Sponsalibus: ergo. Non Jure naturali, uti fatentur omnes etiam Adversarii, clarèque patet: tum quia ostendi non potest: tum quia ispemet Deus injustè resilienti apponit penam, & quidem reternæ damnationis, atque Ecclesiæ penam pecuniariam, carceris, & excommunicationis infligit, qui utique contra Jus naturæ non faciunt.

Neque Jure positivo: Et quidem non Jure Civili per Leges n. 187. citatas; quia illæ Leges tantummodò loquantur de tempore antiquo Romanorum, consequenter de appositione pœnæ, ne quis etiam justè resiliat: sciendum namque, quòd tempore antiquo quisvis pro libitu licitè ac validè, adeoque justè potuerit resiliere non tantùm à Sponsalibus l. 1. C. de Sponsalibus, ibi: *Aut desponsata venientiam conditioni, & nubere alii non prohibentur*: sed etiam ipsam Matrimonium jam ratè contractam dissolvere, dummodò resiliens vellet subire pœnam à Lege resiliensibus statutam, videlicet amittere Arrham, dotem, & donationem propter nuptias, prout patet ex toto Tit. ff. de Divortis, & l. Neque 14. C. de Nuptiis, ubi libertas non tantùm contrahendi, sed etiam dissolvendi Matrimonium statuitur. Hinc ne ista à Jure concessa libertas à Sponsalibus, & Matrimonio pro libitu licitè ac validè, sicque justè resiliendi per appositionem pœnarum minueretur, prohiberent Jura n. 187. citata alias, quam Legibus posse sunt, apponere pœnas, ne quis etiam justè resiliat: quibus concordat etiam l. 2. C. de inutili stipulatione: ibi: *Libera Matrimonia ab initio esse placuit; idcirco pacta ne liceret divertere, non valere; & stipulat ones, quibus pœna irrogarentur ei, qui, quæve divortium fecisset, ratas non haberi constituit. & l. Si stipulatio 19. ff. de V. O. ubi etiam ratio ulterius additur: Quia convenit esse delictum pœnis Legum comprehensis. Quoniam verò ista libertas pro libitu, & sine legitima causa à Sponsalibus & Matrimonio resiliendi per Legem Evangelicam, & SS. Canones est sublata, ita ut sine legitima causa etiam à Sponsalibus licitè ac justè resiliere nullus possit, allegatæ hæc tenes Leges Civiles pro moderno tempore non quadrant, aut plus non probant, quàm quòd non liceat apponere penam, ne quis etiam justè, seu ex legitima causa per Canones approbatè resiliat.*

Confirmatur: Ratio Legis antiquæ prohibentis alias quàm Legis apponere pœnas, fuit, ut conferretur plenissima libertas temper & pro libitu validè

validè ac licitè dissolvendi Sponsalia ac Matrimonium, prout patet legenti textum; atqui hæc ratio Legis univèrsim de facto cessat; cum dicta plenissima libertas de facto sit sublata; & translata in necessitatem moralem nubendi, nisi legitima causa excuset; ergo cessat etiam Lex ipsa dictam appositionem pœnæ prohibens; quia ratione Legis univèrsim cessante, cessat Lex ipsa, arg. l. In omni. ff. de Adopt. cum ratio Legis sit anima Legis, l. Cum ratio. ff. de Portion.

192 Confirmatur II. Ex recentiori dispositione Juris Civilis. Novell. 18. Leonis Imperatoris, ubi expressè conceditur, licitumque & validum agnoscitur, apponere pœnam, ne quis injustè à Sponsalibus resiliat: placet adducere totam Novellam ita sonantem: *In omnibus rebus, & dictis, quod præstantius sit eligi, reprehendendum non est. Atque tunc quidem, ut aliquid sequere aut declinandum censens, non eorum, qui aliquid aut faciunt, aut dicunt, habenda ratio: sed eorum, que sunt ac dicuntur, cognoscendus status est. Idcirco quod consuetudini placuit, ut in Sponsaliorum reprobandibus pœnæ imminerent eis, qui reprobare instituerent, id, in legis auctoritatem collocamus. Arbitror enim, id quod consuetudini visum est, eâ lege, quæ de hujusmodi rebus lata est, nihil improbabilius esse, ac res ipsas referre in melius. Nam quum lex Arrhæ perditione, aut in duplum restitutione solum temeritatem puniat, hæc definitum pœnæ constitutum in Sponsaliorum rescissione subire damnum vult. Ac sanè, ne (ut fieri assolet) Sponsalia sursum deorsum ferantur, hoc mihi (quemadmodum dixi) majorem obtinere vim videtur. Solutus enim Arrhæ perditio, que in eum, qui dedit, ac Sponsalibus non acquiescit, constituta est: ejusque in duplum restitutio, quam mulctam is, qui Arrham cepit, deindeque in pœcto convenio non persolvit, sustinet; ut propter pœnæ levitatem ad pœcto rescissionem: qui id facere cogitant, facilius ferantur, fecit. At ex pœcto definita pœnæ graviori damnum sibi obvenire videns inconstans ille tardior omnino ad dissolvenda Sponsalia fiet. Quod sanè nos etiam nuptialibus contractibus magis conducibile fore animadvertentes, quod ex consuetudine fieri solet, in legitimum constitutionem traducimus. Ex Arrhæ siquidem perditione faciles Sponsaliorum everfiones video: ex pœnæ persolvatione non item. Nam graviori dispendium (pœcto enim constituta pœnæ Arrhæ major proventus atque gravior est) vel invitum inhibens, animi inconstantiam acquiescere illis, que antea de Sponsalibus placuerunt, compeller. Sic igitur quod à consuetudine confirmatum est, quemadmodum hæcenus, ita deinceps & obvietato, & causis judicato: tum etiam qui Sponsalia evertit, pœnæ ex actione feritur.*

193 Probatur, quòd neque Jure Canonico sit prohibitum, quia, si in hoc Jure esset prohibitio, esset in c. Gemma. 29. h. t. atqui in hoc capitulo non prohibetur, quia ibi est sermo de Sponsalibus invalidis, utpote infra septennium celebratis, à quibus quia justè resiliere quis poterat, meritò Papa improbat pœnam eis ad hoc appositam, ut illam solvere teneretur resiliens.

Nec dicas rationem ibidem appositam, videlicet, quia libera debent esse Matrimonia, militare universaliter; quia hoc statim num. seq. improbabimus.

164 Probatur: si ex Juris ratione desumeretur prohibitio appositionis pœnæ solvendæ ab eo, qui injustè resiliit, esset; quia per hanc læderetur libertas ad Matrimonium requisita, prout fatentur uno ore Adversarii, eò quòd hæc rationem tam Léges Civiles, l. 5. c. de Sponsal. & l. Titia. ff. de V. O. quam Jus Canonicum cit. c. Gemma 29. h. t. alle-

gent; atqui ex hac ratione minimè desumitur dicta prohibitio; quia contractus ritè Sponsalibus in Lege Evangelica nulla pars libertatem amplius habet à Sponsalibus pro libito resiliendi; cum, uti omnes etiam Adversarii concedunt, Sponsalia sub peccato mortali, adeoque sub pœna æterna obligent; consequenter Sponsus libertatem moralem Matrimonium contrahendi, vel recusandi adimant, eisque necessitatem moralem nubendi imponant ergo.

195 Confirmatur: Deus & Ecclesia gravioribus pœnis, quam sit illa pecuniaria à Sponsis conventionaliter sibi mutuo imposita, cogunt & adigunt Sponsos ad Matrimonium inendum, & tamen exinde non tollitur, nec læditur libertas ad illud requisita: ergo neque per pœnam minorem, arg. l. 22. ff. de Adult. Probatur Ant. Deus & Ecclesia sub pœnâ æterna ad id Sponsos obligant; Ecclesia insuper sub pœna corporali carceris v. g. item sub pœna Excommunicationis ad idem adigunt per dicta supra à n. 157. quævis autem harum pœnarum gravior est, quam præfata pecuniaria; cum utique pœna æterna major sit temporalis, ut patet, & corporalis major pecuniaria, arg. l. In servorum. §. ff. ff. de Pœnis. Excommunicatio autem gravissima fit in Ecclesia pœna.

Nec dicas. Plures homines plus timere amissionem pecuniariam, quam pœnam æternam, vel excommunicationem: consequenter plus lædi libertatem ad Matrimonium requisitam, per pœnam illam, quam ipsam. Nam contra est, quòd hoc prorsus per accidens, & imprudenter fiat, quòd Jura non respiciunt, nec attendunt; uti bene advertit Bosco de Matr. Disp. 11. Concl. 11. n. 338. Nam de Jure quis magis præsumitur timere culpam saltem mortalem quam pœnam. Covarruvias de Matr. p. 2. cap. 3. §. 5. n. 4. dicens propterea eum, qui etiam gravi metu adactus juravit, gravem assumere obligationem, præsumi potius illam gravem obligationem subire voluisse, quam sicè jurare, & peccare.

197 Confirmatur ulterius. Juxta ipsos etiam Adversarios licitum est, Sponsalibus apponere Arrham in quavis gravi quantitate, v. g. 1000. aureorum, & convenire, ut in triplo vel quadruplo reddatur ab injustè resiliente, per dicta supra n. 178. & seqq. arg. l. Mulier. §. c. de Sponsal. atqui hæc tripli vel quadrupli redditio ab injustè resiliente præstanda, est vera pœna; prout etiam cit. l. 5. pœna vocatur: ergo licet apponere pœnam, consequenter appositione pœnæ non tollitur requisita ad Matrimonium libertas. Nec juvat dicere, pœnam nomine Arrhæ appositam, non tollere, aut minuere libertatem, bene verò pœnam conventionalem simpliciter appositam: quia hoc ridiculum, & gratis dictum videtur, uti post Coninek bene notat Bosco loc. cit. n. 339. cum non minus quis metatur illud triplum nomine Arrhæ reddere, quam ratione pœnæ solvere.

198 Probatur tandem Conclusio positivè ex Jure. Jus positivè concedit apponere pœnam Sponsalibus: ergo non prohibet. Ant. probatur ex recentissimo Jure Novell. 18. Leonis Imperatoris, quam habes supra n. 192. Hæc Novella tam clara est, ut reverà videatur cessare ratio dubitandi de Jure Civili; imò etiam de Jure Canonico; cum ubi causus vel materia in Jure Canonico est obscura, in civili autem clara, uti in præsentî (cum citata Novella clarissimam contineat dispositionem, ex c. Gemma verò non nisi obscure disponatur de materia controversa) etiam in foro Canonico juxta Jus Civile causa decidatur; prout docuimus in Proemio. §. 13. n. 225. arg. c. de Novi operis nuntiat. ibi: Sicut Leges non designantur SS. Canones imitari;

imitari; sic sacrorum statuta Canonum Principum Constitucionibus adjunguntur.

199 Dices cum Zoesio h. t. n. 82. Novellam Leonis non obligare, imò neque esse usu receptam ipso etiam tempore Leonis. Resp. cum Bosco loc. cit. n. 334. Zoesium hoc dicere quidem, sed non probare. Et certè quis credat illam Novellam nec tempore Leonis usu esse receptam: cum dictus Imperator in allegata Novella non semel, sed tertio de consuetudine tunc jam vigente, cui conformem edidit legem, mentionem faciat.

200 Obijcies principaliter contra Conclusionem n. 188. postam. Hæc Conclusio est contra communissimam sententiam Doctorum, juxta dicta n. 187. ergo non est amplectenda, cum in hujusmodi controversis materis utique securus, imò prudentius videatur, communissimam sequi Doctorum, quam tantum aliquos. Resp. concessio Ant. negando conclusio. arg. l. 1. §. 6. C. De veteri Jure enucleando, ibi: Sed neque ex multo dicitur Auth. rum, quod melius & æquius est, judicatore; cum plures unius forsant, & deterioris sententia, & multos & Majores in aliqua parte superare. Hinc juxta Menochium de Præsumpt. lib. 2. præsumpt. 71. n. 39. non dicitur communis opinio, que plures Doctores pro se asserentes habet, nullâ disputatione præmissâ, sed perfunctoriè (ut ait) per transnam, illam sequentes. Quare optinè etiam Navarrus in Summa cap. 27. n. 259. ait: communiorum existimari opinionem approbatam à sex DD. ex professo rem tractantibus, quam à quinquaginta solâ priorum autoritate ductis. Hinc quæ nostra Conclusio à DD. n. 188. citatis præsertim à Bosco viro celeberrimo insigniter discussa est, & examinata, eam de communi opinione Doctorum esse, meritò dicere possumus, præsertim cum in tantis Juris & rationis vitatur fundamentis, quòd difficulter solvendæ videatur.

Ad alia fundamenta Adversariorum n. 187. postata jam patet ex dictis: sicut etiam ad disparitatem inter Arrham & Pœnam allegatam num. citato. Qui bus accedit, quòd juxta ipsos etiam adversarios liceat apponere Arrham in quavis quantitate longè majori, quam sit pœna Conventionalis: ergo si metus amittendi illam utpote majorem quantitatem non tollit libertatem requisitam, neque tollet metus incurrendi istam quippe minorem, arg. l. ut. l. 22. ff. de Adult. Item quòd juxta Adversarios & clarum textum l. 5. c. de Sponsal. liceat Arrham summe quantitatis in pœna quadruplici postea restituendi apponere; ergo nihil facit differentia n. 187. allegata, quòd Arrham statim tradatur, Pœna verò tantum promittantur; cum quadrupli restitutio Arrhæ etiam tantum promittatur.

201 Queritur III. Quid Juris de Sponsalibus conditionatis; præsertim si Papa dispensaverit? Ad hoc quaesitum patebit infra Tit. 5. de Conditionibus appositis.

§. VII.

De Causis dissolvendi Sponsalia. In specie de mutuo Consensu, Receptu unius, Absentia, aut Dilatione nimia, Ingressu in Religionem, Ordine, & Votis.

S U M M A R I U M

- 202 Recensentur breviter cause dissolvendi Sponsalia.
- 203 Sponsalia puberes etiam jurata mutuo consensu dissolvi possunt.

- 204 Non item impuberum.
- 205 Non tantum valide, sed etiam licitè solvuntur Sponsalia mutuo consensu.
- 206 Dummodò talis consensus sit liber à fraude, dolo, & metu gravi inulso.
- 207 Doctrina præclia.
- 208 An requiratur auctoritas Judicis?
- 209 Discessus unius à Sponsalibus sine justis, sive injustis, præbet etiam alteri causam discedendi.
- 210 Quamvis, si alter injustè recedat, eum dimittere non tenetur.
- 211 Potest unus Sponsorum tacitè vel expressè recedere.
- 212 Solvuntur etiam Sponsalia, si unus Sponsorum sine licentia alterius discedit.
- 213 Et diutius abest.
- 214 Etiam si ex causa utili, vel necessaria abest.
- 215 Solvuntur instantie ex Jure Civili.
- 216 Sponsalia p. sunt contrahi cum præfixione termini ad discedendum.
- 217 Et ad extinguendam obligationem.
- 218 Quando Sponsalia sunt absque præfixo termino, quid Juris?
- 219 Si præfixus terminus ad differendam obligationem, non obvenit illo elapso.
- 220 Bene vidè si ad extinguendam apponatur.
- 221 Solvitur instantia. Et num. seq.
- 222 Tempus non currit impedito.
- 223 Per professionem Religiosam solvuntur Sponsalia.
- 224 Nisi fiat in fraudem ac injustum alterius detrimentum, quòd aliter quam per Matrimonium reparari non potest.
- 225 Per solum ingressum in Religionem, Professione non secuta, solvuntur Sponsalia ex parte manentis in saculo.
- 226 Non item ex parte ingredientis. Et num. seq.
- 227 Per susceptionem Ordinum Majorum.
- 228 Non item Minorum dissolvuntur Sponsalia.
- 229 Post Sponsalia contracta Sponsus licet non potest suscipere Ordines sacros. Et num. seq.
- 230 Solvitur instantia.
- 231 Votum in tradendi Religionem post Sponsalia licetè emittitur quidem, sed non licetè solvit Sponsalia ex parte votantis.
- 232 Bene tamen ex parte alterius.
- 233 Emisum post Sponsalia votum suscipiendi Ordines sacros non solvit Sponsalia ex parte votantis, bene tamen ex parte alterius.
- 234 Idem est de voto continentie. Et num. seq.
- 235 Solvuntur objectio es. Et duobus num. seq.
- 236 Promissum non frangitur, qui in melius mutat: quomodo intè ligandum. Ibid.
- 237 Vinculis duobus concurrentibus fortius ligat.
- 238 Votum suscipiendi Ordines sacros, aut continentie, quòd efficitur ex parte promittentis.
- 239 Votum præcedens Sponsalia dissolvit illa.

Queritur I. An Sponsalia ritè contracta, juxta de causa iterum dissolvi possint? Resp. Affirmativè. Patet inductione: Solvuntur enim 1. mutuo consensu. 2. Receptu unius à Sponsalibus. 3. Per absentiam unius ex Sponsis. 4. Per dilationem nimiam. 5. Per ingressum in Religionem. 6. Per susceptionem Ordinis sacri. 7. Secundum aliquos etiam per votum ingrediendi Religionem. 8. Per Matrimonium. 9. Per Fornicationem unius. 10. Per supervenientem mutationem in bonis animi, corporis, fortunæ, aut fortunæ. 11. Per Impedimentum superveniens. De septem primis in hoc, de reliquis seq. §. agemus.

Queritur II. An, & quomodo Sponsalia dissolvi possint consensu mutuo? Resp. I. Sponsalia etiam jurata

jurata puberum valide solvi possunt mutuo consensu. Communis ac certa Ratio est; quia omnis contractus ex natura sua solubilis (cujusmodi sunt etiam Sponsalia, c. 2. h. t. cum concord.) mutuo consensu factus, eodem iterum solvitur, arg. c. 1. de R. J. in 6. ibi: *Omnis res, per quamque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Enim verò *Nihil tam naturale est, quam eo genere quidquam dissolvi, quo colligatum est.* l. Nihil. 35 ff. de R. J. cum Concordantiis. Nec obstat, quod juramento sint firmata, arg. c. *Præced.* h. t. & notat Summarium ac Glossa ibidem. Ratio est: Tum quia juramentum est tantum accessorium: *Accessorium autem naturam sequi convenit principalis.* c. 42. de R. J. in 6. Tum quia fortitur conditiones actus, cui apponitur, c. *quemadmodum*, de *Jurejur.* Sponsalibus autem, & cuius alteri promissioni tacita hæc semper inest conditio, nisi is, cui promittitur, remittat, aut mutuo consensu solutio fiat.

204 Dicitur autem notanter in Conclusione puberum; quia Sponsalia impuberum, ante annos pubertatis mutuo consensu solvi minime possunt, textu expresso. *De illis. 7. de Despon. impub.* prout magis dicemus Tit. seq. de *Desponsation. impub.*

205 Resp. II. Non tantum valide, sed etiam licite solvi possunt Sponsalia libero consensu mutuo, Bosco de *Matrim. Disp. 11. sect. 2. Concl. 1. n. 5.* citans Communem Sanchez de *Matrim. lib. 1. Disp. 52. n. 2.* & Canonistæ communiter, in c. 2. h. t. per Jura n. 203. citata. Ratio est; quia nullo Jure prohibito est, mutuo consensu dissolvere Sponsalia; consequenter licitum est; nam juxta commune axioma allegatum à Glossa in c. *Inter corporalia. 7. Non invenitur de Translat. Episc.* *Concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur,* arg. can. *Jam nunc. caus. 28. q. 1. & c. 1. de Procurat. in 6.*

Nec obstat, c. 2. h. t. ubi Papa ait, ne deterius contingat, tolerari posse, quod mutuo consensu dissolvantur; quo dicendi modo satis indicat, id saltem licitum esse, arg. c. *Cum jam dudum. 18. de Preb.* Præsertim, quia ibidem etiam vult, quod prius commendati sint, & omnibus modis inducendi, ut *præstitam fidem observent.* Resp. enim, Papam ibi ita locutum fuisse ad tollendam speciem mali, ac vitandum scandalum plebis arbitrantis, mutuo consensu resiliens Sponsios, fidem datam, & juramentum violare, prout ibidem observat Abbas, Innocentius, & alii communiter. Firmatur responsio ex hoc ipso c. 2. h. t. ubi Papa dicit, tolerari posse etiam dissolutionem Sponsalium *ad instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt;* atqui contractus societatis non tantum valide, sed etiam licite mutuo consensu solvi potest; ergo.

206 Resp. III. Ad hoc, ut Sponsalia mutuo consensu dissolvantur, debet consensus ex utraque parte esse liber à fraude, dolo, & metu gravi injuste incusso; secus dissolutio valida non erit. Castro Palao de *Sponsal. Disp. 1. punc. 17. n. 2.* Sanch. loc. cit. n. 3. Bosco loc. cit. n. 7. Spores in *Theolog. Sacrament. p. 4. cap. 1. sect. 2. n. 236.* Pirhing. h. t. n. 41. cum Communi. Ratio est; quia remissio hujus, & cujusvis juris est quedam species donationis, que debet esse libera.

207 Inferitur, illum minime tutum esse in conscientia, qui, ut à Sponsa remissionem obtineat, v. g. vel magnum terrorem incutit, dicendo: *nisi me dimittas, & si te dicere debebo, dirè te tractabo;* ut mancipium te habebò, nullum amorem, nec unquam serenum vultum exhibebò &c. vel si eam dolose, & fraudulenter decipit dicendo v. g. se hoc aut illo morbo, aut delictu laborare; se patrimonio privatum fuisse; se officium illud, ob quod illa

spondebat, amplius acquirere non posse &c.

208 Resp. IV. Quamvis ad dissolvenda mutuo consensu Sponsalia de Jure non requiratur autoritas Judicis (nullibi enim in Jure requiritur) nihilominus, ut cum aliis bene advertit Layman lib. 1. tr. 10. p. 1. cap. 2. n. 1. ad finem. multarum Ecclesiarum consuetudo est, ut Sponsalia publica coram Parocho celebrata, non dissolvantur, nisi causa prius per Episcopum cognita, idque ne lites, & controversiæ inter partes emergant; dum una pars obicere possit, se non liberè sed fraude deceptam, aut metu injuste incusso adactam ad dissolutionem consensisse. Imò in variis Decretibus, ut Frisingensi expresse cautum habetur in *Ritucli cap. IX. Membr. 1. §. 7. n. 3.* ut non tantum Sponsalia coram Parocho publice contracta, sed etiam contracta secretò quidem, sed postea evulgata, non nisi auctoritate publica per Officialem solvantur; de quo nisi authenticis litteris doceant Sponsi, ad nova Sponsalia cum alio vel alia, contrahenda non admittuntur.

209 Quæritur II. An, & quando recessus, seu defectus unius à Sponsalibus præbeat alteri causam recedendi ab eisdem, ac eadem dissolvendi? Resp. Quando una pars à Sponsalibus sine justè, five injustè recedit, etiam altera pars recedere potest. Tarnbar. tr. 3. cap. 5. §. 1. n. 2. Spores in *Theolog. Sacram. p. 4. cap. 1. sect. 2. n. 237.* cum communi. Ratio patet; quia si una pars justè recedit, jam hoc ipso solvit Sponsalia, & tribuit alteri parti potestatem pariter recedendi, vel potius ipso facto liberat eam ab onere & obligatione eidem nubendi: si verò injustè recedit, procedit illud vulgatum: *Frangenti fidem, fidei frangatur eadem,* arg. l. qui fidem. 16. de *Translat. Episc.* cum concord, quod procedit, est quia fidem suam juramento firmavit, Barbosa de *Axiomat. Jur. v. Fides. n. 10.* Thufcus *Litt. F. Concl. 337. n. 3.* per Jura supra n. 203. allegata.

210 Quòd autem pars innocens discedere non tenetur, sed injustè resiliens tenere possit obligatum, ita ut hic teneatur eidem volenti adhuc nubere, tenent Doctores citati, cum Communi & certa. Ratio est: tum quia peccata quos Auctores tenere debent, c. *quævisit. De his, que fiunt à major. part. cap. Tum quia Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest;* l. *Non fraudantur ff. de R. J.*

211 Cæterum potest quis explicitè, & implicitè, seu expresse, & tacite recedere à Sponsalibus. Explicitè recedit, quando verbis expressis asserit, nolle se amplius huic nubere, aut fidem sponsalium servare. Implicitè verò, quando ita se gerit, aut tale quid agit, quòd ipso facto Sponsalia, aut Matrimonium reculare merito censetur: utroque in casu potest relictus quoque, si vult, Sponsalia solvere, vel, si alter injustè recessit, eum obligatum tenere, juxta dicta. Porrò implicitè, tacite, aut interpretative quis recedit in plerisque causis sequentibus, præsertim verò *per dilationem nimiam, aut professionem in Regionem aliam;* de quibus statim infra.

212 Quæritur III. An, & quando per absentiam Sponsi dissolvantur Sponsalia? Resp. I. Quando Sponsus absque licentia Sponsæ in aliam terram animo non amplius redeundi se confert, solvantur Sponsalia ex parte alterius. Bosco in *Theolog. Sacram. p. 5. Disp. 11. sect. 2. Concl. 9.* Sanchez lib. 1. Disp. 54. n. 6. Castro Palao de *Sponsal. Barbosa, & Canonistæ communiter in c. De illis. h. t. ibi: De illis autem qui præstito juramento promittunt, se mulieres ducturos, & postea eis incognitis dimittunt terram, se ad partes alias transferentes, hoc tibi volumus innotescere; quod liberum erit mulieribus ipsis (si non amplius in facto processum) se ad alia loca transferre. Ratio est; quia talis ita discedens censetur remanere juri suo.*

Resp.

213 Resp. II. Etiam tunc solvantur Sponsalia, quando quidem non cum animo emanandi, sed tamen sine spe brevi redeundi in aliam terram discedit. Doctores citati, cum Communi aliorum, arg. cit. c. *De illis. 5. h. t.* Ratio est: tum in præcedenti Conclusione allegata: tum quia æquum non est, quòd Sponsa tam longum ac incertum teneatur expectare reditum Sponsi cum periculo amittendi alias commodas nuptias, & propriæ incontinentiæ; præsertim, cum ad id, ut supponitur, se non obligarit.

214 Nec limitanda est Conclusio in casu, quo Sponsus ex causa necessaria cogitur diutius abesse, vel ex causa voluntaria, ut si tamen, diutius abest (pro ut plures Doctores limitant, arg. l. *Sape. ff. de Sponsal. 5. h. t.* illimitatè, ac universè loquatur, consequenter illimitatè intelligenda veniat, arg. c. *Quia circa. 22. de Privileg.* præsertim cum etiam de his casibus militent rationes Conclusionis num. præced. postea; quibus accedit, quòd in tali casu videatur intervenire notabilis mutatio, ob quam etiam sine culpa unius emergentem ex parte alterius solvantur Sponsalia per dicenda infra n. 255, & seqq.

215 Obijcies Varias Leges Civiles, in quibus certum annorum spatium determinatur, quo Sponsi invicem expectare tenentur, ut *L. 2. C. de Sponsalibus*, ubi statuitur, Sponsum absentem intra eandem provinciam biennio esse expectandum, *L. 2. verò de Repudiis*, sancitur, esse triennium expectandum, si extra Provinciam abest, & *L. Sape. 17. de Sponsal.* decernitur, adhuc diutius expectandum esse, si unus ex Sponsis ob causam necessariam abest, ibi: *Sape. 17. de Sponsal. si necessarè cause non solam annuum, vel biennium, sed etiam triennium, & quadriennium, & ulterius tradunt Sponsalia, veluti valetudo Sponsi, Sponsæ, vel mores parentum, aut capitalia criminosa, aut longiores peregrinationes, que ex necessitate fiunt.* Ad has Leges variè respondent Doctores, aliis dicentibus, esse illas contractas à Jure Canonico c. 5. h. t. Alius verò volentibus, eas etiam non vigere, & observandas esse, ut videre est apud Sanchez, & alios n. 212. citatos. Sed aliter Resp. Citatas Leges ad præsertim minime esse attendendas. Ratio est; quia prædictæ Leges præsumunt tempus solummodo ad hoc determinant, ut Sponsa possit dissolvere Sponsalia, retentis Arrhis, & donatis ob nuptias: hæc enim si retinere non volebat, poterat quivis Sponsiorum, quovis die, & tempore, pro libito, solumque dissensu suo Sponsalia contracta iterum solvere per *leges num. 190. citatas;* cum verò hæc Lex per Canones sit sublata, priores vero non loquantur de casu nostro, minime attendendæ erunt hæc Leges, ita loc. cit. cum aliis Castro Palao. Quantum autem tempus requiratur, ut Sponsa dissolvere queat Sponsalia, relinquendum videtur arbitrio Judicis, ut cum aliis notatis, & in praxi observari astringit Spores loc. cit. n. 244. ubi tamen etiam observandum, quòd Sponsus, si est in propinquo, requiri & admoneri debeat, ut intra certum tempus nubat. Sanchez loc. cit. n. 11.

216 Quæritur IV. An, & quando per *nimiam dilationem* dissolvantur Sponsalia? Ante responsum notandum, quantum ad circumstantiam temporis variè posse contrahi Sponsalia. I. Absque determinatione certi temporis ea adimplentur. II. Cum præfixione certi temporis aut termini, quod rursus duplici modo contingere potest. *Primo modo* potest præfixi terminus ad finiendam, sed tantum ad differendam obligationem contrahendi Matrimonium, ita ut usque ad illum terminum nulla pars obligetur, nec cogi valeat ad nubendum alteri; bene

autem eo elapso, consequenter per lapsum hujus termini non finiatur, sed ponitur firmetur, & absoluta evadat obligatio nubendi; eo serè modo, quo quis alteri dat mutuum certo termino ad solvendum præfixo; hujusmodi enim terminus minime apponitur ad finiendam, sed ad differendam obligationem solvendi, ita ut intra illum solvere non teneatur, bene tamen illo elapso; consequenter per lapsum talis temporis non extinguatur, sed firmetur, & absoluta evadat obligatio solvendi, & exinde ad id cogi valeat, arg. l. *Continuus. §. Secundo. ff. de V. O. & l. Celsum. 23. §. 1. ff. de Receptis, qui Arbit.*

217 *Altero modo* potest præfixi terminus ad finiendam, seu extinguendam obligationem Matrimonium amplius contrahendi, ita nempe, ut si usque ad illum tempus non contrahatur Matrimonium, quævis pars ex Sponsis ab obligatione sit libera. Et de hac termini præfixione loquitur c. *Sicut. 22. h. t. & l. Fidejussor. §. fin. ff. Mandati.* Exemplum est in obligatione Horarum Canoniarum, solvendi vota temporanea &c. obligatio quippe recitandi Horas Canonicas finitur cum ipso die, five culpabiliter, five inculpabiliter omittantur; ut prout quibus dies censetur præfixus ad finiendam obligationem H. N.

218 Resp. I. Si Sponsalia absque termini præfixione contracta sunt, & una pars adimplere illa velit, ac infret, altera verò eadem hic & nunc adimplere recuset, & sine legitima causa differat, potest pars adimpletionem volens statim resillire. Patet conclusio ex dictis a. n. 143. & *ff. ubi probavimus Sponsalia ita contracta statim obligare;* consequenter si obligatio non hinc satisfacere sine legitima causa recusat unus Sponsiorum, censetur resillire, & hociusque etiam alteri præbere facultatem resiliendi vide dicta a. n. 143.

219 Resp. II. Quando terminus præfixitur primo modo, tunc neutiquam solvi possunt Sponsalia ex eo, quòd intra illum terminum Matrimonium contractum non sit, sed manet obligatio, five dein culpabiliter, five inculpabiliter Matrimonium secutum non fuerit. Bosco in *Theolog. Sacrament. p. 5. Disp. 11. sect. 2. Concl. 2. n. 52.* Sanchez lib. 1. Disp. 53. Abbas, & Canonistæ alii in c. *Sicut. 22. h. t.* cum Communi, & certa aliorum, arg. l. *Continuus. §. Secundo. ff. de V. O. & l. Celsum. 23. ff. de Receptis, qui arbit.* l. Ratio est; quia, ut in dicta. Celsum. innuitur, per hujusmodi præfixionem termini duplex confurgit obligatio, una absolute contrahendi, altera tali tempore contrahendi, ita ut si tali tempore non contrahat, ille, per quem stetit, teneatur nihilominus primo opportuno tempore adhuc contrahere; cum cessante obligatione tali tempore contrahendi non cesset obligatio altera, absolute nempe nubendi, que juxta dicta n. 143. stringit, quamprimum fieri potest.

220 Resp. II. Si *secundo modo* præfixitur terminus, & termino præfixio Matrimonium non contrahitur, solvantur Sponsalia, & tollitur obligatio ex parte utriusque, five culpabiliter, five inculpabiliter ex parte unius, vel utriusque contractus Matrimonii non sequatur. Bosco loc. cit. n. 52. Dicassillo, & alii. Est tamen ex parte contra Sanchez lib. 1. Disp. 53. n. 6. & alios volentes, si ex culpa tantum unus venit, quòd Matrimonium non sequatur; altera verò pars ad nubendum parata fuisset, tolli obligationem præcisè ex parte innocentis, non autem nocentis. In quo consentit Layman lib. 5. tr. 10. p. 1. c. p. 2. n. 16. Item docet Sanchez loc. cit. n. 7. ex nulla parte tolli obligationem, est tamen per unum, quòd nihil Matrimonium contrahatur. si hic sine culpa est, & quotamèn Layman, ac alii dissentunt.

Probab.

221 Probatur nostra Conclusio universaliter ex cit. c. Sicut. 22. h. t. & l. Fidejussor. §. si ff. Mandati. Ratio est; quia contractus ex conventionem Legem accipere dignoscuntur c. Contractus 6. de R. J. in 6. & l. 23. ff. de Reg. Jur. consequenter, cum, uti supponitur, contrahentes consensu convenierint, quod si usque ad certum terminum, Matrimonium non iequatur, utraque pars maneat libera ab obligatione, sic erit, etsi ex causa & culpa unius venerit, quo minus Matrimonium sequeretur, arg. cit. l. Contractus. 23. ff. de Reg. Jur.

222 Nec dicas cum Sanchez loc. cit. Nemo debet ex malitia sua commodum reportare c. Sedes & c. Pleurumque de Rescriptis, ergo saltem ille non liberatur ab obligatione, qui ex gravi culpa sua Matrimonium impedit. Resp. enim Aut. verum esse, nisi ex ipsa natura certae obligationis, aut vi conventionis specialis aliud permittatur, uti in presenti. Et patet à pari v. g. in Horis Canonis, quas licet aliquis malitiose aliquo die omittat, non tenetur altero die obligationem praeterite diei refarcire, & Horas bis recitare, etsi forsitan ex malitiosa sua omissione commodum reportarit. Accedit, quod talis praeter peccatum mortale teneatur refarcire damnum alteri parti exinde secutum; consequenter commodum magnum reportare non videatur, uti bene observat Bofco loc. cit. n. 54.

223 Obijcies Regulam 41. Juris in 6. Imputari non debet ei, per quem non fiat, si non faciat, quod per eum fuerit faciendum; ergo saltem tunc non solvuntur Sponsalia cum secundi modi praefixo termino contracta, quando alteruter ad nubendum praefixo termino paratus, fuit legitime impeditus; praesertim cum universaliter loquendo tempus non currat legitime impedito: arg. c. Quia diversitate 5. de Concelass. Presb. & l. 1. §. fin. C. de Annal. Prescript. Resp. Regulam, & Jura allegata procedere de casu, quo tempus aliquod à Jure est praefixum, poenaeque Juris, facultative, aut alterius privatio per Legem decreta est, non item si ex privata contrahentium voluntate, ac conventionem; ex hac enim contractus Legem accipiunt etiam contra Juris dispositionem, arg. cit. l. Contractus. 24. ff. de R. J. ibi: Contractus quidam, dolum malum duntaxat recipiunt; quidam dolum, & culpam; dolum tantum, depositum, & precarium; dolum, & culpam, mandatum, commodatum, venditum &c. sed haec ita, nisi nominatim convenit, vel plus, vel minus in singulis contractibus; nam hoc servabitur, quod in iure convenit; legem enim contractus dedit. Hinc ut bene advertit Layman loc. cit. frequenter contingit, contractus ex conditione fieri, ut nisi certo tempore perficiatur, nullus sit; etsi neutrius culpa intervenierit.

224 Queritur V. An, & quomodo Sponsalia solvantur per ingressum in Religionem? Resp. I. Per ingressum in Religionem Professio secuta solvit Sponsalia, certum est. Omnes Ratio patet; quia per Professionem Religiosam solvitur etiam ipsum Matrimonium ratum, c. ex publico. 7. de Convers. Conjug. ergo multo magis Sponsalia de futuro.

225 Limitatur tamen Conclusio in casu, quo quis ingrederetur ac prosteretur in fraudem; & damnum alterius, puelle v. g. prius jam sub spe Matrimonii violata, vel etiam impregnata, quod damnum aliter, quam n. per Matrimonium subsiquens reparari non potest; Sporer in Theolog. Sacram. p. 4. cap. 1. sect. 2. n. 245. Sanchez lib. 1. Disp. 44. n. 3. citans alios. Ratio est; quia omne etiam solemne votum, ac iuramentum de re illicita est nullum, nunquamque parit obligationem, arg. c. Quanto. de Juris. & c. Non est de R. J. in 6. ibi: Non est obligatorium contra bonos mores praestitum iuramentum, at

qui in tali casu Professio tanquam votum esset de re illicita; cum ex iustitia ad id nunquam refarciendum obligatus, Religionem ingredi & profiteri licite non possit; si post ingressum, aut Professionem damnum refarciri non amplius potest, per ea, quae diximus Lib. 3. Tit. 31. de Reg. §. 3. n. 72. & 73. & magis adhuc dicitur infra: ergo. Accedit, quod talis Professio etiam sit nulla ex defectu acceptationis. Constat enim ex dictis Lib. 3. Tit. 31. de Reg. n. 167. ad valorem Professionis necessarium esse acceptationem ex parte Religionis: haec autem illicitam Professionem acceptare non potest, nec acceptationem censetur, cum nullus illicite agere praesumatur, nisi probetur, arg. c. fra. de Presumpt. Hinc, si quis ita fraudulenter ingrederetur Religionem, celans grave alterius damnum, non nisi per Matrimonium reparabile, procul dubio ejici possit, & ad instantiam alterius dimitti deberet.

Dicitur tamen notanter; si damnum aliter, quam 264 per Matrimonium subsiquens reparari non potest, quia si damnum aliud via reparare potest, & vult Sponsus, licita ac valida erit Professio. Nec obstat illud, quod ex l. 2. §. Mutui. ff. Si certum petat. unum pro alio invito creditori reddi non possit; talis autem debet Matrimonium: ergo. Resp. enim dictam dispositionem Juris non procedere in casu presenti, utpote ubi Jus ipsam obligationem in specie debitorum per Professionem tollit, c. 2. & 7. de Convers. Conjug. cui proinde debitum in specie Matrimonium non obstat, nisi praecise ratione damni inde confluentis, quod, quia alià ratione reparari potest, & uti supponitur, reparatur, non habet, quod aliud praetendat damnum passiva.

Resp. II. Solo ingressu in Religionem, etiam 227 Professio non secuta solvuntur Sponsalia saltem ex parte illius, qui in saeculo remanet, ita ut illic, si velit, alteri nubere valeat. Sanchez lib. 1. Disp. 42. n. 2. Sporer loc. cit. n. 247. Innocentius in c. Veniens, qui Clerici vel voventes, & ibi Anchoranus n. 1. Joan. Andreas n. 2. item Navarrus cap. 22. n. 26. Sylvester v. Sponsalia q. 10. casu 2. Layman lib. 5. tr. 10. p. 1. cap. 2. n. 3. cum Comuni aliorum contra Durandum, & alios apud Sanchez Ratio est: Tum, quia hoc ipso, quod quis ingrederetur Religionem, censetur voluntatem mutasse, & Sponsalia ac juri suo renuntiasse; quod facere quis potest per vulgaria. Tum quia accedente notabili mutatione ex parte unius, solvuntur Sponsalia, & tollitur obligatio ex parte alterius per dicenda à num. 255. atqui per ingressum in Religionem fit notabilis mutatio ex parte ingrediens, cum grave foret, & dedecorofum foeminis, si teneretur adhuc nubere ei, qui jam fuit Monachus; eo utraque, si teneretur ducere vitam Monachalem. Tum quia nulla pars praesumitur in Sponsalibus se obligare ad expectandum, donec Novitatus finiatur, ergo.

Resp. III. Per ingressum in Religionem Professio 228 ne non secuta, non solvuntur Sponsalia, nec tollitur, sed manet obligatio ex parte ingrediens, ita ut si remanens in saeculo expectare, & eum adhuc habere velit, egrediens teneatur eam ducere. Castro Palao de Sponsal. Disp. 1. pun. 18. n. 3. Engel h. t. §. 3. n. 7. Layman loc. cit. Pont. de Matrim. lib. 12. cap. 10. n. 3. Sylvester v. Sponsalia q. 10. casu 2. Sporer loc. cit. n. 248. Pirhing. h. t. n. 50. cum Comuni aliorum contra Sanchez lib. 1. Disp. 42. n. 4. volentem, etiam ex parte ingrediens ditolvi Sponsalia, saltem si bona fide ingrederetur. Probatur Conclusio nostra: solus ingressus in Religionem nec ex natura sua, nec ex jure aliquo positivo solvit Sponsalia: ergo. Non ex natura, cum Novitatus possit egredi, & Sponsalia implere. Nec Jure positivo; quia

quia nullum allegari potest: nam c. 2. & 7. h. t. cum concord. loquuntur de sola Professione; quae Juris dispositio in favorem Professionis concessa, quia est odiosa, utpote in praedictum alterius vergens, extendi non debet ad solum ingressum; Odia enim restringi convenit, c. Odia. 15. de R. J. in 6.

229 Confirmatur. Omnia vota tolluntur per Professionem Religiosam; non item per Novitatum, aut solum ingressum; nam tempore Novitatus manent adhuc suspensa, ergo etiam, licet per Professionem solvantur Sponsalia, non solvantur per solum ingressum; cum non sit major ratio, cur per Novitatum solvantur Sponsalia, & non alia vota. Nec est paritas de remanente in saeculo, & ingrediens; quia ex parte hujus, non item illius fit notabilis mutatio, ob quam merito solvantur Sponsalia ex parte remanentis in saeculo.

230 Queritur VI. An, & quomodo dissolvantur Sponsalia per susceptionem Ordinum? Et an licitum sit post Sponsalia Ordines suscipere? Resp. I. Per susceptionem Ordinis sacri, seu Majoris, non item Ordinum Minorum dissolvuntur Sponsalia. Sanchez lib. 1. Disp. 47. numer. 1. Bofco loc. cit. cum communi, & cetera aliorum. Ratio de Majoribus Ordinibus patet; quia Ordo sacer est impedimentum dirimens Matrimonium, arg. c. Presbyteris, dist. 27. consequenter dissolvens Sponsalia, cum eorum adimpletio per susceptionem Ordinis sacri fiat impossibilis, ad quod nemo tenetur c. Nemo. 6. de Reg. Jur. in 6.

231 Ratio secundae partis est; quia Ordines Minores non repugnant cum Matrimonio; potest enim Minoritas habere & valide nubere, consequenter etiam tenetur, si spondat. Notat tamen Tanner de Sponsal. Disp. 8. tr. 4. q. 1. n. 53. Gobath. tr. 10. casu 8. numer. 321. Sporer loc. cit. numer. 256. quod, si Sponsus inscia ac invito Sponsa Minores Ordines suscipiat, solvantur Sponsalia saltem ex parte Sponsae, ita ut haec alteri pro libitu nubere possit. Ratio est: Tum quia talis hoc ipso, quod incipiat Ordines Minores, censatur velle cum tempore eorum Ordines Majores suscipere (ordinarie enim Minores per talem non suscipiuntur, nisi cum intentione suscipiendi etiam Majores) siquae statum Matrimonio repugnantem assumeret; consequenter remittere Sponsae jus & obligationem: Tum quia videtur notabilis mutatio, & magna inconstantia Sponsi, si post Sponsalia suscipiat Ordines, & post hos iterum nubere vult; ob hujusmodi autem mutationem solvantur Sponsalia juxta dicenda infra à num. 255. ergo.

232 Resp. II. Quamvis juxta dicta Ordo sacer Sponsalia dirimat, tamen post ea contracta licite non suscipitur. Sanchez lib. 1. Disp. 47. numer. 3. Castro Palao de Sponsal. Disp. 1. pun. 19. Reb. lib. 4. de Matrim. q. 9. sect. 5. Conck Disp. 23. dub. 3. numer. 25. Engel h. t. num. 8. Pirhing h. t. num. 57. cum aliis contra Navarrum cap. 22. num. 25. Layman loc. cit. num. 7. Gobath, Pontium lib. 22. cap. 11. nu. 3. & alios: Ratio Conclusionis est, quia nec Divino, nec naturali, nec humano Jure conceditur Sponsus, quod post contracta Sponsalia possit Ordines sacros suscipere, sicut concessum est ingredi Religio: ergo est eos valide suscipiat, tamen peccat, & illicite agit, utpote sine titulo aut privilegio gravem injuriam tertio, Sponsae nempe inferens, & fidem in materia gravi violans. Nec valet argumentari à Professione Religiosa ad Ordinem sacrum, quia dispositio inter utrumque expressè habetur in Jure, Extravog. Antiquae Joannis XXII. de Voto, & Voti redempt. un cautum habetur, quod per Ordines sacros Matrimonium non dirimatur, uti

per Professionem; & causa additur; cum nec Jure Divino, nec per sacros Canones reperiamus hoc statutum.

Confirmatur praxi Dioecesium, quae constat, quod ante Ordinationem inquiri solet, an nullus fecerit Sponsalia? quod signum est, Episcopos nec velle, nec licite posse ordinare aliquem Sponsalibus adstrictum. Confirmatur ulterius ex toto Tit. de Obligatis ad raticionia non ordinandis. uti universaliter prohibetur, ne quis in praedictum alterius, cui aliqua obligatione adstrictus est, ordinetur; ergo neque Sponsus in praedictum Sponsae, cui adstrictus est, licite ordinari poterit.

Obijcies cum Adversariis principale & unicum 234 fundamentum, videlicet, quod, sicut in quovis voto, sic etiam in Sponsalibus consueatur tacite imbibita illa conditio: Nisi quid perfectius, seu statum perfectiorem elegero; atqui status Clericalis est nobilior Matrimonialis, ergo. Resp. negando, quod illa conditio tacite insit Sponsalibus; quia insit tantum votis, seu promissionibus Deo factis, non item factis homini: alias enim posset quis cuncta promissa etiam jurata homini facta ex illa tacita conditione negligere, quod falsissimum est, ut late ostendit Castro Palao Tract. de Jurament. Et patet in exemplo, quo vult quis dare, vel vovere Deo equum, quem alteri jam promissit. Certè enim id non liceret, nec valeret, utpote tertio injuriosum, licet alius Deo, aut ipse cause dare equum si perfectius, quam dare homini. Aliud est in votis, utpote in quibus Deus ipse promissarius est, qui utique remittit, vel remittere censetur votum minus perfectum, si loco hujus perfectius praestatur. Cur autem liceat Religionem ingredi cum praedictio Sponsae, causa non est, quia Religio est status perfectior, sed quia à Jure concessum est.

Queritur VII. An etiam, & quomodo per vota 235 tum ingrediendi Religionem, aut suscipiendi Ordinem sacrum, vel etiam per votum simplex castitatis dissolvantur Sponsalia? Resp. I. Quamvis licite & valide quis vovere possit ingredi Religionem, tamen per tale votum non illico solvantur Sponsalia ex parte utriusque, sed tantum ex parte non voventis. Prima pars, quod licite & valide vovere quis possit Religionem, & in ea profiteri, est certa apud omnes, hoc ipso enim, quod post Sponsalia quis possit licite ingredi Religionem, etiam id vovere potest.

Secunda pars, quod per tale Religionis votum non illico solvantur Sponsalia ex parte utriusque, tenetur à Castro Palao de Sponsal. Disp. 1. pun. 20. num. 4. Tamb. lib. 2. num. 7. Sporer loc. cit. num. 252. & alios contra Layman loc. cit. num. 4. & alios. Ratio est; quia bene fieri potest, ut quis vovens Religionem nullibi suscipiatur, vel suscipitur tempore Novitatus iterum egrediat, casu quo cum cesset obligatio voti, subintrat obligatio iterandi Sponsalia; si pars in saeculo remanens adhuc expectet, & eam habere velit; prout in simili supra num. 226. diximus de ingrediens Religionem absque praecedente voto. Confirmatur; quia solummodo ipsi actuali Professioni Jura attribuitur vim solvendi Sponsalia ex parte utriusque, sicut & Matrimonium ratum, arg. c. 2. & 7. de Convers. Conjug. ergo ad votum ingrediendi, ac profitendi, Juris dispositio, utpote odiosa & in praedictum alterius vergens extendi non debet, arg. c. Odia. de R. J. in 6.

Cæterum, quod ex parte remanentis in saeculo per simile votum solvantur Sponsalia, tenent Omnes; hoc ipso enim, quod quis licite voveat assumere statum Matrimonio repugnantem, censetur reman-